EMENDATIO TEMPORVM

COMPENDIO FACTA ab initio Mundi ad præsens vsque.

QVA, PRÆTER ALIA PLVrima, restituta sunt Natiuitas & Baptisma *& Cruciatus Domini Christi ad annos* fere quaternos post vulgi *calculos:*

CONFVTATIS OPINIONIBVS Scaligeranâ Baronianâque, pariter ac *Iesuiticâ Ioannis Deckerij & Laurentij* Suslygæ, atque Ioannis Kepleri *Cæsarei Mathematici.*

Auctore THOMA LYDYAT.

LONDINI
Excudebat FELIX KYNGSTON.
Anno Domini 1609.

NOBILISSIMO

SERENISSIMOQVE

Principi, Domino HENRICO,

Florentiniæ Monarchiæ Magnæ

Britanniæ, Franciæ, Hiberniæ &c. ip-

tima spei Hæredi, [illegible]

MVSEVM
BRITAN
NICVM

[illegible]

omnis sui explicatum

paucis chartis, vtinam

(quemadmodum de il-

lis Cornelij Nepotis olim cecinit Poeta)

tam docilis quam laboriosis. Vtiles equi-

dem futuras spero, tum ipsi quorum multa

negotia vel alia studia quo permittuntur ip-

sos explicari in latos historiarum campos,

sed cupidos cognoscendi veteris tempo-

rum

NOBILISSIMO SERENISSIMOQVE *Principi, Domino* HENRICO, Florentissimæ Monarchiæ Magnæ *Britanniæ Franciæ Hiberniæq; &c.* optimæ spei Hæredi: vnà cum annorum *incremento incrementum gratiæ* & potentiæ apud Deum *& homines.*

EN offero Celsitudini tuæ, Serenissime *Princeps*, Emendationem temporũ omnis æui explicatam paucis chartis, vtinam (quemadmodum de illis Cornelij Nepotis olim cecinit Poeta) tam doctis quàm laboriosis. Vtiles equidem futuras spero, tum ijs quorum multa negotia vel alia studia non permittunt ipsos exspatiari in latos historiarum campos, sed cupidos cognoscendi seriem tempo-

rum cum præcipuis gestorum & euentorum ab origine mundi, quàm breuissima eorum synopsi contentos esse iubent: tum etiam ijs, quorum & otia & studia ipsos ad lectionem historiarum inuitant; atque ad præparandum intellectum antequàm legant, ac ad dirigendum iudicium inter legendum, atq; ad confirmandam memoriam postquàm legerint.

Sunt autem hoc breuiculo temporum breuiario exposita & alia complura quæ sollicito veri inuestigandi studio secus se habere deprehendi quàm ab alijs saltem recentioribus tradita comperi; atque, tum ad demonstrandam Sacræ Scripturæ veritatem, tum ad historiam Ethnicam conciliandam non tam ipsi, quàm quod illi magis honorificum sit, sibi sequestra ipsa, præcipuè spectantia hæc. In primis origines Gentium, ac status imperij Assyriaci Babylonicique, atq; aliorum etiam præter Israeliticum & Iudaicum regnorum, præsertim Aegyptij & Medici durante Babylonicâ Iudæorum captiuitate: atq; huius termini. In quorum inuestigatione quanto pressius & Sacræ & Ethnicæ historiæ atq; antiquorum Christianæ religionis Patrum vestigijs insisto, tanto magis diuersus à Iosephi Scaligeri opinionibus in

his sicut in alijs Chronologiæ partibus feror.

In Persicâ autem monarchiâ etsi minimè suspicor tantam & tam vniuersalem esse Ethnicæ historiæ halucinationem, quantam (etiam doctissimis & Iudæorum & Pontificiorum suffragantibus) quidam pij & eruditi & venerabiles viri nostro seculo existimarunt; quorum ego vices nuper indignissimè acceptorum à Scaligero (enimuerò quid illis commune cum Paracleto Montani, & eiusmodi?) perinde ac meas doleo: tamen aliquam, eamq; nec leuem vtpote saltem integri quinquennij in fine regni Darij Hystaspis & situ totius regni Xerxis, sexennij autem ad initium regni Artaxerxis Longimani, nec à leuibus vel paucis auctoribus commissam demonstraui: vt desinat Scaliger gloriari nimiùm de certitudine historiæ Ethnicæ illorum temporum: qui in Elencho chronologiæ D. Dauidis Parei primarij ac reuerendi professoris Theologiæ in celeberrimâ Academiâ Heidelbergensi non ita pridem edito, vt significet historiam Ethnicam certioris & liquidioris esse veritatis quàm Sacram, multa ex sacrâ scripturâ colligit, vel potiùs in sacrâ scripturâ tanquam nodos in scirpo anxiè inquirit;

quæ vt ipse Iudaïco prouerbio identidem occinit, Eliam interpretem siue enodatorem expectant: quàm inani(ne dicam, aliquin periculoso & Atheorum cauillis obnoxio) instituto, ac parum recto iudicio, spero ipsum eximium Theologum plenè demonstraturum: interim verò non iniquos vel oscitantes lectores huius opusculi aliquam cognitionem consecuturos. Quis verò excuset eius pertinaciam, & neglectum imò contemptum veritatis (cuius patronum se tantopere iactat) præ victoriæ cupidine: qui potiùs quàm concesserit Abrahamum inter Tharachi, perinde ac Shemum inter Noachi filios, primum recensendi dignitatis non ætatis ratione, quod sexaginta annorum lucro meritò defendit D. Pareus, Diluuium contigisse asserat anno haud amplius 599 ætatis Noachi, contra disertissima ipsius Moses verba tribus saltem locis, Gen. 7 c. 6 & 11 vv. & 8 c. 13 v.?

Porro autem ex anno vicesimo Artaxerxis Longimani ad rectum situm restitutum, atq; initio libri Nehemiæ deduco (illud omnium chronologorum Christianorum præcipuum & maximum negotium) calculum Septuaginta Hebdomadum Danielis, aptissimè accommodatum simplicissimæ

cissimæ & antiquissimæ interpretationi illius Prophetiæ, 9 c.

Ad hanc verò etiam stiti tempora Baptismatis siue Manifestationis, & Cruciatus, atq; Natiuitatis Domini Christi, plùs minùs quadriennio posteriùs quàm per proximos 1300 annos communis opinio statuit: instituto sanè vt verum fatear satis audace, nec sine ampliore præfatione euulgando, nisi ipsius operis breuitas iuberet me contentum esse ijs rationibus quæ in descriptione illius seculi necessariò erant exponendæ: quandoquidem præter contraria dictata Cardinalis Baronij & celeberrimi Scaligeri iampridem edita & à multis approbata, haud ita dudùm Laurentius Suslyga Polonus pro gradu Baccalaureatus Theologiæ, auspicijs & auxilio Ioannis Deckerij Iesuitæ Theologiæ Doctoris & Cancellarij Academiæ Græcensis in Styriâ, magnificam Disputationem habuerit de tempore Ortus Christi quod quadriennio, ac Mortis quod saltem anno ante receptam opinionem (illud plus sexennio, hoc quinquennio ante nostros calculos) statuit; eamq; mox typis ediderit ingente pompâ, distributam scilicet in quinque partes, quarum primam nuncupauit ipsi Regi Poloniæ, secundam Prin-

cipi

cipi eius filio ac regni hæredi, tertiam eiusdem regni Vicecancellario, quartam Imperatoris Consiliario, ac denique quintam Archiduci Austriæ; quibus etiam singulis additæ sunt Acclamationes & Epigrammata in laudem Auctoris; vnum quidem tale:

Threicius mouit montes, syluasq; ferasque;
Versibus, arte, lyrâ; mouit & Eurydicen,
REGES, ARCHIDVCES, DOCTORES, SVSLYGA *mouit;*
Ecquis vtroque, ecquis fortior alterutro?

et cætera eiusdemmodi. Sed quid dignum tanto ferat hic promissor hiatu, quamlibet etiam à Ioanne Kepplero Cæsareo Astronomo & Mathematico approbatâ & nobilitatâ, adeoq; vno anno etiam longiùs in antecedens adactâ separato Tractatu (eoq; dedicato Imperatoris Consiliario) ipsius opinione de Natiuitate Domini; huius nostri opusculi particulâ quæ seculi illius delineationem exhibet, æquis lectoribus vti spero satis constabit: simulque quantum tribuendum sit eiusdem celeberrimi nostro seculo Astronomi opinioni de significatione Nouæ stellæ anno Domini vulgari 1604 exortæ, proximè tempus & locum coniunctionis trium superiorum Planetarum, ferè initio Astrologici Trigoni ignei, ac propterea collatæ

ab illo cum Stellâ obseruatâ à Magis circa natale Christi; quatenus hâc hypothesi nititur; quandoquidem ille libro de eâ edito atq; etiam dedicato ipsi Imperatori Rudolpho, sicut olim Parthus fugiens acerrimum prœlium instituit, sic ipse quasi renitens & inuitus atq; Astrologiam respuens, summum coniectorem ac vatem Astrologum agat. Sed in Keppleri, viri certè alioqui perdocti & illo munere quo apud Imperatorem fungitur vt apparet digni, vel Astrologica vel Astronomica particulariùs inquirere, non est meorum partium hoc loco neq; pro modulo istius opusculi.

Ne verò eò minùs nobilis videretur Quæstio de Natali Domini quòd inter Theologos & Mathematicos (nedùm Chronologos aut Philologos) tantùm modò, versaretur; nouissimè omnium editus & posteriori parti Chronici Eusebiani vnà cum Chronico Sigeberti &c. præfixus est hoc ipso anno luculentus amplissimi viri Pauli Petauij, in supremâ curiâ Parisiensi Senatoris regij, Tractatus eiusdem argumenti: qui quum ad manus meas veniret quando libellus hic iam iamq; typographiæ cõmittẽdus esset, satis habui huic inserere breuissimas solutiones potissimorum

morum illius argumentorum, quibus Sulpitij & Keppleri, ne dicam Baronij & Scaligeri, nuperæ opiniones, ad Eusebianam communi proximam, citra quam non minore interuallo alterinsecus constituta est sententia nostra, quasi retrò cogerentur.

Præterea epocham Euangelij statui initio prædicationis Ioannis Baptistæ anno 15. imperij Tiberij Cæsaris, consulatu C. Rubellij Gemini & C. Fulij Gemini, potius quam natali Christi tantopere controuerso, tum ob illius certitudinem, tum ob accuratiorem eiusdem definitionem ab ipsis Euangelistis, atq; maiorem obseruationem ab antiquis Christianis, vt cum è scriptis plerorumque Patrum, tum etiam ex ipso Chronico Eusebiano manifestum est, vbi & in præfatione & in opere illa potissimum celebratur, multæq; aliæ epochæ cum illâ conferuntur, at vix vna cum epocha Natiuitatis (nec assignatis annis huius in antiquioribus eius exemplaribus); quæ à Dionysio Abbate Romano post quingentesimum annum Euangelij primum instituta, vix anno 850 demum publico Christianorum vsu accepta est.

Denicq; ne pluribus hic recensendis immorer, Fastos Consulares Romanorum,

post

post adeò enixam operam illorum emendationi ab alijs nauatam, ipse pluribus locis emaculaui, & ante constitutum à Iulio Cæsare Imperium, & posteà vnà cum ipsis Imperatorum annis: quos vtrosque præsertim à Cæsare Baronio Romanæ ecclesiæ Cardinali in immensis illis Voluminibus Annalium Ecclesiasticorum seu potiùs Pontificiorum, continuis erroribus binùm trinùm & quaternùm annorum, indè à Natali Christi per annos fermè trecentos, inuolutos esse ostendi. Est autem horum redargutio maioris momenti ad eneruandam auctoritatem superstitiosarum & ambitiosarum Traditionum Pontificiarũ quàm quiuis existimet; quandoquidem ex ipsis anachronismis adulterinorum auctorum secutorum corruptos Cassiodori & aliorum recentiorum fastos, mendacio emendicata illarum antiquitas manifesta fiat.

Quocirca Nobilissime ac Serenissime *Princeps*, Celsitudini tuæ quâ par est submissione hunc libellũ nuncupo, exhibentẽ quasi principia & fundamenta Historiæ Vniuersalis, præsertim Ecclesiasticæ. Quòd si quemadmodum in ijs constituendis hactenus, præter nauatam operam meam, honestum patrimonium impendi:

ita

floq

ita in hac componendâ officium inprimis Deo optimo maximo, deinde autem Vniuersæ eius Ecclesiæ, præcipuè verò Patriæ meæ ac Patriæ Patri inclyto Regi Iacobo tibiq; paternæ Pietatis pariter ac Maiestatis Hæredi gratum, pioq; & ingenuo Dei seruo, Ecclesiæ membro, Patriæ ciue Vobisq; subdito dignum præstare potuero: equidem supremum apicem votorum meorum quoad hanc vitam consecutus fuero. Interim Deum patrem Domini nostri Iesu Christi oro vt Celsitudinis tuæ ineuntem iam adolescentiam (quod ætatis lubricum appellatum est) ac singulos deinceps ætatis gradus, per arduam illam viam Virtutis Veræq; Religionis, ad summum Honoris & Felicitatis fastigium Sancto suo Spiritu dirigere pergat. Londini vicesimo die Ianuarij, Iuliani, Anno 5612 Mundi cõditi, ac 1580 Euangelij prædicati, propè desmente, iuxta nostros calculos.

Celsitudini tuæ animi officio & submissione addictus,

THOMAS LYDYAT.

Canones Chronici.

	Anni. Particulares.	Vniuersi.
Ab initio Mundi ad finem Diluuij.	1656	1656
Inde ad natale Isaaci promissi hæredis Abrahami.	452	2108
Inde ad Israelitarum Exodum ex Ægypto.	400	2508
Inde ad fundatum Templum à Salomone.	479	2987
Inde ad Monarchiã Nabuchadnezaris Babylonij.	413	3400
Inde ad Monarchiam Cyr Persæ.	70	3470
Inde ad Monarchiã Alexandri Magni Macedonij.	204	3674
Inde ad Monarchiam Iulij Cæsaris Romani.	281	3955
Inde ad Principium Euangelij, cõueniens anno imperij Tiberij Cæsaris 15 vulgari anno Domini 29	77	4032
Itaq; annus Domini 1608		
est annus { Euangelij prædicati	1580	
est annus { Mundi conditi		5612

Perro

Porro Euangelij tempora distincta sunt
Principium Euangelij, annorum 53
tanquam eius Natale:
Septem internalla, vnúquodq; annorũ 24
tanquam totidem ætates ipsius.

EMENDATIO TEMPORVM COMPENDIO FACTA

Ab initio mundi.

Exto die ab vniuerſi primordijs, circa æquinoctium vernum, iuxta antiquiſſimorum Chriſtianorum ſententiam, ac initium primi menſis naturalis, Deus optimus maximus poſt creata alia omnia opera ſua condidit primos parentes humani generis qui dominarentur illis, *Adamum* quidem (vt apparet) manè, *Euam* autem a meridie poſtquàm Adamus animantibus terreſtribus creatis nocte præcedente & volatilibus nomina dederat: ac deinde eodem die ambos collocaſſe videtur in horto illo *Edenis*; vbi nimirùm beati vixerunt.

Incertum verò eſt quàm diu primi parentes ita vixerint: ſed (quatenus eius diſ-

quisitio ad institutum nostrum pertinet) parùm probabile equidem existimo quod multi censent eos statim lapsos atque expulsos esse, nempe eodem die vel postridie, multóque minus quod quidam permansisse in illo statu tres annos & semestre; probabilius verò quod alij, supra septimanam dierum infra septimestre, quo scilicet plenũ gustum ingentium Dei beneficiorum ac amœnissimarum deliciarum in præstantissimâ illâ habitatione eò magis inexcusabilem redditurum ipsorum defectionem, nec non altè infixum & hæsurum animis sensum suæ ante lapsum felicitatis eóque magis seriam resipiscentiam postea geniturum perciperent; minimum quidem vsque ad decimum diem primi mensis dicatum lege Mosaïcâ seligendo agno Paschali, summum autem ad decimum septimi dicatum solenni ieiunio & expiationi; si modò liberrimi affectuum suorum moderatores naturæ integræ instinctu non fuissent daturi operam gignendæ proli (quod præcipuum habetur argumentum citioris lapsus, quum tamen cætera pleraque animantia etiam nunc, perinde ac terræ nascẽtia, statis anni tempestatibus soboleſcant,) ante decimum ferè a vere mensem, vtpote maximè Genialem

ialem ac præ alijs naturalem Gamelionem.

Anno 131 mundi quasi ineunte, siue quando Adamus vixerat proximè 130 annos, natus est ei filius *Shethus*. Gen. 5. c. vbi per ætates Patriarcharum quando primum facti sunt patres cõtexitur series annorum a condito Adamo vsque ad Noachum decimum ab eo Patriarcham.

Anno 236 m. perinde quasi ineunte natus est Shetho *Enosh*: quo tempore videtur instituta primùm *Ecclesia* filiorum Dei. Gen. 4 & 6 c c.

Porro sub annum 326 m. natus est Enocho *Kainan*: 396, Kainani *Malaleel*: 461, Malaleeli *Iared*: 623, Iaredo *Enoch*: 688, Enocho *Mathusalah*: ac 875, Mathusalacho *Lamech*.

A. 987 m. assumpsit Deus *Enochum* Patriarcham septimum ab Adamo, anno 365 ætatis suæ, ac 57 post mortem Adami; atq; *Sabbatico* naturali, scilicet primo post *Iubileum* item naturalem (constantem septem Sabbatis siue septimanis annorum, id est, 49 annis,) a mundi conditu vicesimum. Gen. 5 c.

A. 1057 m. ac 70 post assumptum Enochum natus est Lamecho *Noah*.

A. 1536 m. Deus constituit Noachum

præconem iustitiæ suæ exequendæ Diluuio aquarum post 120 annos, nisi homines interim resipiscerent. Gen. & amb. epist. Petri.

A. 1556 m. Noah agens ætatis annum 500 genuit filium suum primogenitum, nempe vt videtur, *Chamum*; cui præpositus fuerit *Shemus* proximè minor natu, translato a Chamo in hunc primogeniti iure, propterea quod ille intuitus esset nuditatem ebrij patris, indicante fortè Chanaane paruo filio siue nepote Noachi è Chamo. Gen. 5. & 9 cc.

A. 1656 m. (paulò post cuius initium mortuus videtur *Mathusalah* omnium Patriarcharum maximè longæuus, cum vixisset proximè integros 969 annos,) quando Noah erat filius annorum 600, id est, adhuc agebat, nondum verò (quod plerisque visum) exegerat ætatis annum 600, Deus aquarum *Diluuium* vniuerso orbi terrarum induxit, die 17 mensis 2 à vere: Gen. 7 c. quod durauit vnum ferè annum. Atq; hic fuit interitus *prisci mundi*. 2 Epist. Petri.

Anno 1657 mundi, anno 601 ætatis Noachi, primo mense naturali vtique à vere, primo die mensis, siccatis aquis Di-

luuij (Gen.8 c.) fuit *initium restaurata rerum naturæ.*

A.1659 m.biennio post Diluuium, *Sheno* Noachi filio centenario natus est *Arphacshad.* Gen.11 c. vbi contexitur series annorum item per ætates Patriarcharum quando primùm cœperant gignere, a Sheno vsque ad Tharachum patrem Abrahami.

Proinde a.1694 m. Arphacshado natus est *Shalah*: ac 1724, Shalacho *Eber.*

A. 1758 m. annis 101 post Diluuium, Ebero natus est *Phaleg*, tempore *diuisæ terræ post Confusionem linguarum* ob ædificationem vrbis & turris *Babyloniæ*: (Gen. 10 & 11 c c.) vnde initium habent *Gentium origines* relatæ ab Ethnicis historicis. Erat autem annus 1 septimanæ 7 post Iubileum naturalem 35.

Circa annum 1772 m. videtur condium omnium primum saltem post Diluuium *regnum Babylonicum*, *à Nemrodo*, (Gen.10 c.) scilicet primo *Belo Babylonio* titulum maiestatis ac tyrannidem vsurpante annis 1903 ante captam Babylonem ab Alexandro magno, iuxta Babylonicas antiquitates inuestigatas a Callisthene Philosopho illius comite: quod nostrâ chronologiâ admodùm tempestiuè

conuenit in annum 14 post disperſionem Gentium; alijs verò pleriſque anticipantibus 60 annos ætatis Tharachi in natali Abrahami, minùs veriſimiliter in annum ferè 30, atque Ioſepho Scaligero 40 ante ipſam.

Eodem autem tempore, aut paulò pòſt, videtur *Aſſur* (qui Ethnicis etiam *Belus Aſſyrius*) indignatione arrogantiæ & potentiæ Nemrodi linquens Babyloniam, iecisſe fundamenta ſecundi poſt Diluuium *regni Aſſyriaci*, condendo eius metropolim *Nineuen* (Gen. 10 c.) ſiue *Ninum*, vt apparet ipſius filio primogenito ac hæredi regni cognominem; noſtrâ item chronologiâ 1360 annis (quorum ſaltem 60 primis ſuperuixerit ipſe Aſſur ante regnum Nini) ante latas Spartanis leges a Lycurgo quaſi annis 97 ante epocham Græcarum Iphiti Olympiadum; ac 1485 annis ante epocham poſterioris Beli Babylonij, nempe Beladanis ſiue Nabonazaris, quot vno minus Scaliger, auctore Georgio Monacho, ante Lycurgi legiſlationem Aſſyriorum regno aſcribit: qui etiam duas Dynaſtias in Babyloniâ, alteram poſt alteram, annorum minimùm 368, ante antiquiſſimum Belum, eumque 125 annis Calliſthenis epochâ antiquiorem factum nullâ

veriſimilitudine ſtatuit.

A. 1788 m. Phalego natus eſt *Reu.*

Circa a. 1817 m. 60 annis poſt Gentium diſperſionem calculo noſtro, primò *regnari cœptum in Ægypto,* vtpote annis 663 ante Cambyſis Perſæ dominatum in eâdem, colligimus ex ijs quæ e veterum hiſtoricorum, vt apparet, fragmentis Georgius & Conſtantinus Manaſſes in ſuos Annales retulerunt. Videntur autem inſequẽtibus ſeculis complura regna ſiue *Dynaſtiæ,* fermè tot quot ciuitates in eâ regione quæ demùm tota appellata eſt Aegyptus, primùm verò ex parte a principe gentis auctore *Meſraim* Sacræ hiſtoriæ, ſicut Iehoſhuæ ſeculo in vicinâ Chanaæâ ſimul extitiſſe. quarum annos regum cum hiſtorici Aegyptiorum Perſicæ monarchiæ temporibus, tanquam aliorum aijs ſigillatim ſuccedentium, partim per ignorantiam, partim per ambitionem vnâ continuâ ſerie contexuiſſent: hoc modo nimirùm incredibilem illam antiquitatis opinionem genti ſuæ pepererunt, atque inexplicabilem ataxian & errorum chaos hiſtorijs ſuis vſque ſub initium monarchiæ Perſicæ intulerunt. Atque hinc haud dubiè exundauit ſeries illa quindecim *Dynaſtiarum Aegyptiacarum* ante Abrahami

Patriarchæ ſeculum cum annorum numero longè excedente initia mundi, ex Manethone ab Euſebio ſtrictim propoſita, & a Scaligero nuper in ſuis Canonibus chronographicis vtique parùm recto iudicio explicata atque collaudata.

A. 1820 m. Reuo natus eſt *Sharug*.

Circa a. 1832 m. fuit *initium regni Nini* in *Aſſyriâ*, annis 1300 ante Lycurgi legiſlationem.

A. 1850 m. Sharugo natus eſt *Nahor*.

Circa a. 1852 m. ac 94 poſt diſſeminationem Gẽtium iuxta chronologiam noſtram, in *Græciâ* primam vrbem *Bœotiæ Thebas* primùm condidit rex *Ogyges* antiquiſſimus, vtpote annis 2100 ante ſeptingenteſimum annum Romæ conditæ ſententiâ Varronis, teſte ipſo, initio 3 l. de Re Ruſticâ, id eſt ferè M C D (ſcilicet 23 minùs) ante epocham Olympiadũ, neutiquã verò M D C, vt mendoſè legitur & vulgo intelligitur apud Cenſorinum tranſpoſitis literis numeralibus: atque annis fermè 373 ante Ogygem Atticæ regem, ſecundùm eius ſitum in Chronico Euſebij.

Circa a. 1878 m. ac 222 poſt Diluuium vniuerſale, anno 27 Ogygis Thebani apparet contigiſſe particulare *Græciæ diluuium* prius, dictum *Ogygium*; vtpote 600 annis

nnis ante Deucalioneum, quod contigit nno 30 Cecropis primi Athenarum regis.

A. 1879 m. Nachoro natus est *Tharah.*

Circa a. 1916 m. *Sicyone* in Peloponeso rimus regnare incepit (vti fertur) *Aegialeus*, annis 1313 ante epocham Olympidum.

A. 2009 m. ac 3 post *Noachi mortem*, haracho anno ætatis suæ demùm (non o vt plerique putarunt, verùm) 130, vtote tantùm 75 ante mortem suam, Gen. 2 c. & Act. 7 c. natus est *Abrahamus* Patriarcha decimus a Shemo, vicesimus ab damo; 60 annis post natum Haranem eniorem fratrem ex aliâ matre, (Gen. 20 .) patrem Loti comitis atque Iscæ siue aræ coniugis ipsius Abrahami: vt tum ex acrâ Scripturâ tum ex Ethnicarum Antiquitatum a nobis hactenus expositarum ongruentiâ apparet. Erat autem hic noer annus natiuitatis *Abrahami* Iubileus aturalis 41.

Circa a. 2049 m. paulo plus 200 annis b initio regni Nini in Assyriâ, temporibus *Apidis* regis quarti Sicyoniorũ, videur *Argis* Peloponesi primus cœpisse regare *Inachus*, nempe 400 annis ante regum Cecropis primi Athenis; vtpote 14 genera-

generationibus ferè tricenûm annorum; quomodo apparet legendum esse apud Clementem Alexandr. 1. Strom. pro 40; sicut 15 pro 52 (πεντεκαίδεκα pro πεντήκοντα δύο) ante Deucalionem; ac 9 ante Pelasgum; atque minimùm 20 ante conditam vrbem Troiam siue Ilium: ita vt saltem centum anni adjiciendi sint regni Argiui antiquitati relatæ ab Eusebio ex Castore, malè acceptis τριακοσ. pro τεσσαρακοσ. quod alia cõplura etiam apud ipsum Eusebium videntur confirmare. Inachi autem regno ascribuntur 50 anni. Sub eadem verò tempora in *Cretâ* primus *Cres* regnasse dicitur.

A. 2079 m. ac 322 post terræ diuisionẽ, annis 430 ante Israelitarum Exodum ex Aegypto (vtpote 30 ante natum Isaacum) *Abrahamus* ipsorum pater κατ' ἐξοχὴν, siue præcipuus generis auctor, *initium Peregrinationis* suæ & suorum fecit *Vre Chaldæorũ* natali ipsius solo. Gen. 11 & 15 cc. Exod. 12 c. Act. 7 c. & Galat. 3 c. Erat annus septuagesimus ætatis Abrahami, & septimus septimanæ.

Anno proximè sequẽte scilicet 2080 m. videtur *Cadarlomarus rex Elamitarum* siue Elymæorum ditioni suæ subiugasse Sodomum & circumiacentem regionem, an-

no

o 14 ante Loti captiuitatem: Gen. 14. c. tque huc ſpectare apparet primam illam antiquiſſimam *Scytharum expeditionem* Aſiam, quaſi annorum 15, cuius memi- ex Trogo Iuſtinus 1 & 2 11.

A. 2084 m. Abrahamus poſt mortem harachi diſcedens *Charane Meſopotamiæ* no ætatis ſuæ 75 peruênit in terrã *Cha- næam*; quinque annis ab initio peregri- tionis; (Gen. 12 c. Act. 7 c.) quod ta- en plerique haud rectè hoc anno ſtatu- nt.

Circa idem verò tempus iuxta chrono- giam noſtram, vtpote 15 annis ante reg- um Phoronei Argiui auctore Anticliđ ud Plinium 7 l. 56 c. *Aegyptijs Thebis* uæ poſtea Græcis dicta eſt Dioſpolis gnauit *Menon*; qui quidem videtur et- m Græcis appellatus & Menas & Mi- us & Mên, atque Memnon, ipſis autem egyptijs Menophis, & præpoſito A (ſicut nomine filij ipſius Athothis pro Thoth) menophis ſiue Amenoptes, & hinc con- actè Ammoûs & Ameus, vnde rurſus Græcis Amôſis & Ammon, tantâ nominis ariatione & corruptione, antiquiſſimus & celeberrimus *Aegypti rex*; primuſque apparet vniuerſæ regionis quæ poſteà a appellata eſt *monarcha* (qui etiã *Mem-*

phim

phim vrbem condiderit,) *Pharaonis* titulo auctus; Inachi & Phoronei regum Argiuorum temporibus. Sub huius autem *Amosis* regni initium auctor est Manetho apud Iosephum & Eusebium, gentem quãdam *Pastoralem* relictâ Aegypto consedisse in vicinâ regione *Syriæ* circa Hierosolyma: quod ipsi ægrè torquent ad Israelitarum Exodum ex Aegypto; quum nostro iudicio videatur potius intelligẽdum de *Philistæis* oriũdis e Casluchæis & Caphthoræis nationibus Aegyptijs, & ipsis Pastoritiæ vitæ deditis, qui sub hæc ipsa tempora *Abimeleco* rege & Phicole militiæ principe *Palæstinam* haud procul sanè distantem Hierosolymis, vtpote maritimam Iudææ regionem occupauerint. Atq; hoc idem apparet esse illud quod Herodotus initio historiæ suæ refert *Phœnices* ab Erythræo mari profectos esse: quum Phœnicum nomine censuerit Syros maritimos a Cassiotide vsque Aegypti termino. Quod autem innuit Manetho circa eadem tempora *Assyrios Asiam populatos* fere vsque ad Aegyptum penetrasse: nimirùm Assyrios putauit ipse quos Trogus Scythas, cum fuerit manus collecta e pluribus populis, partim Assyrijs partim Scythis partim alijs inter vtrosq; horum sitis, præci-

pue

què verò Elamitis ſiue Elymæis, iuxta Sacram hiſtoriam, Gen. 14 c.

A. 2093 m. videtur facta illa ſecunda expeditio regis Elamitarum & cæterorum ei confœderatorum cõtra Sodomitas eorumq; ſocios & vicinos vſque ad Aegypti limitem ferè: quando *Abrahamus* (ſeptenis annis ab initio peregrinationis) partâ bello egregiâ victoriâ, & recepto *Loto* fratris filio tunc temporis Sodomi inquilino cum ſpolijs ampliſſimis, horum decimas obtulit *Melchizedecho regi Salem*, ac deinde imputatâ ſibi iuſtitiâ fidei primum fœdus cum Deo inijt; quaſi vno anno antequàm ex Hagare ancilla ſibi tradita ab vxore Sara (ferè decennio poſt adventum in Chananæam) gigneret *Iſmaelem*. Gen. 14 & 15 & 16 cc.

Circa a. 2099 m. *Argis* ſecundus regnare cœpit *Phoroneus* Inachi filius & *Niobes*, niſi potius huius maritus, nedum pater, frater autem *Iûs* ſiue *Iſidis*, ac pater *Epaphidis Argini*: præcipuus auctor (vt apparet) Idololatriæ Græcanicæ Aegyptiacæque. videtur autem nomen eius cognatum Pharaoni communi deinceps titulo maieſtatis regum Aegyptiorum: cum quibus etiam affinitatem habuerit nuptâ Libde ſorore ſuâ regi Amoſi ſiue Ammoni,

ſcilicet

ſcilicet poſtea exiſtimato *Oſiridi* atq; *Serapidi*. id eſt Ioui Aegyptio.

Anno 2109 m. ineunte, ac 453 poſt Diluuium, anno vno poſt inſtitutum *fœdus Circumciſionis*, ac dodrante vnius ſiue nouimeſtri poſt *conflagrationem Sodomi*, natus eſt Abrahamo centenario (poſtquàm ipſe fuerat effœtis naturæ viribus tametſi genitus a patre 130 annos nato, ſicut multo poſtea Dauid ſeptuagenarius quamquam genitus a patre centenario aut maiore) atque Saræ nonagenariæ filius promiſſus ac promiſſi hæres *Iſaacus*, annis omnino 400 ante Iſraelitarum Exodum ex Aegypto : quanto nimirùm tempore ſemen Abrahami quod in Iſaaco appellatum eſt, Gen. 21 c. peregrinatum eſt in terrâ non ſuâ, aliorum populorum iniurijs ac ſeruituti obnoxium. Gen. 15 c. & Act. 7 c.

Circa a. 2159 m. ac poſtrema tempora *Phoronei* qui 60 annis regnaſſe dicitur, viguit celebre ac diuturnum bellum inter ipſum ipſiuſque filium *Apim*, & *Telchines*; plus minus 1070 annis ante epocham Olympiadum.

A. 2168 m. nati ſunt Iſaaco ſexagenario gemini *Eſauus* & *Iacobus*, annis 20 poſt

ſt ductam vxorẽ, 10 poſt mortem She-
, 16 *ante mortem Abrahami*; ac 19 *ante*
rtem Eberi poſtremi ſuperſtitis e maio-
us Abrahami, a quo conſeruata eſt pri-
genia lingua *Hebræa*, ac denominati
t *Hebræi*.

A. 2245 m. *Iacobus* fugit ad *Labanem*
ſopotamienſem natus annos ferè 77, vt-
e 53 annis antequàm deſcenderet in
gyptum. Eodem autem anno videtur
m accepiſſe ambas vxores pro quibus
tus eſt auunculo eidem ac ſocero biſ-
tenos annos ſeruitutis; *Leam* quidem
t menſem a primo aduentu; ac deinde
t ſeptimanam (non annorum vt pleriq;
rpretantur ſed) dierum conuiuij nup-
is illius, *Rachelem*; quod & contextus
ræ ſcripturæ haud difficulter admittit,
natalia filiorum & filiæ nepotumq; &
nepotum illius ante deſcenſum in Ae-
tum planè euincunt.

A. 2265 m. æſtate ineunte fugit *Iaco-*
a Labane, 20 annis poſt aduentum ad
m, atq; ſexennio poſt natum *Ioſephum*.
ineunte autem eâdem æſtate *Simeon* &
filij ipſius iam adepti nomen *Iſrael* à
tâ cum Angelo, ille 18 hic 17 annos
apparet) nati, occiderunt *Shecemitas*
nes virilis ſexus & ætatis, propter vi-

tium

tium oblatum *Dinæ* sorori suæ, puellæ annorum plusquàm 11. porro autem circa initium autumni eiusdem anni sub aduentum Israelis ad Isaacum patrem natus illi videtur *Beniamin*, vtpote genitus in Mesopotamiâ, ac pater decem liberorum ante Israelis descensum in Aegyptum. Denique ante finem eiusdem anni videtur *Iuda* annos natus paulò amplius 16 accepisse vxorem Chanaanitidem.

Circa a. 2270 m. condita videtur *Tyrus* vrbs celeberrima, quasi mille (εἰς χιλίους non διὰ χιλίους) ac trecentis annis ante Herodoti historici peregrinationem eò; quæ etiam Græcis & Latinis priùs Sarra, ipsis verò Tyrijs & Hebræis *Sur* dicta est: vnde videtur vniuersus ille tractus vicinus atque adeo totus ferè Oriens Occidentalibus appellatus esse *Suria* siue *Syria*.

A. 2276 m. *Ioseph* Israelis filius anno ætatis suæ 17 venditus est in *Aegyptum*.

A. 2282 m. videtur *Iuda* suscepisse geminos *Pharezum* & *Zerachum* e Thamare nuru, quando Shelah filius suus erat annorum ferè 15.

A. 2289 m. ac proximè sequente *mortem Isaaci*, cum *Ioseph* esset annorum 30, secundùm eius interpretationem *somnij Pharaonis* inierunt septem anni berta-

tis

tis in Aegypto ante totidem famis, anno Sabbatico naturali.

A. 2298 m. desinente *Iacobus*, qui & *Israel*, natus annos 130, secundo anno famis descendit *in Aegyptum* cum totâ familiâ; quum iam Pharez Iudæ è Thamare filius annorum ferè 17 genuerat filios duos Ezronem & Hamulem. Mortuus autem est Israel in *Aegypto* 17 annis post descensum.

Circa a. 2365 m. 864 annis ante epocham Olympiadum, *Argis* prima *Iunonis* sacerdos facta est *Callithyia* Piranthi filia. Argiuos autem Iunonis sacerdotum annis signasse fastos colligitur ex Thucydidis Scholiaste.

Circa a. 2392 m. 837 annis ante epocham Olympiadum, *Aethiopes* ab *Indo* flumine consurgentes feruntur consedisse iuxta *Aegyptum*.

A. 2429 m. natus est *Moses*, annis 60 post mortem Ioseph, ac 44 post mortem Leui paterni proaui fui ac materni aui.

Hoc seculo claruerunt *Prometheus*, eiusque frater *Atlas*: atque *Hæmon* filius *Thessali*, nepos aut pronepos Pelasgi, primus rex *Thessaliæ*.

A. 2449 m. 780 annis ante epocham Olympiadum, *Athenis Græciæ* primus regnare cœpit *Cecrops Diphyes*, ita appel-

latus (vt quibuſdam viſum) quod eſſet genere partim Aegyptius. erat verò etiam ille magnus auctor ſuperſtitionis ac idololatriæ. regnaſſe autem dicitur 50 annos, quot Inachus.

A. 2469 m. *Moſes* quadragenarius fugit *in Madianitidem*: vbi videtur ille accepiſſe hiſtoriam *Iobi*, vtpote quæ contigerit circa idem tempus, ac poſteà ab ipſo literis mandata ſit.

Hoc autem ſeculo claruit *Hercules Tyrius* ſiue Phœnix cognomẽto Deſanas aut Doſanes: qui & in *Thaſo* inſulâ templum adeptus eſt.

A. 2508 m. ac proximè præcedente Iſraelitarum Exodum ex Aegypto, *Athenis* tertius regnare cœpit *Amphictyon Deucalionis filius*, annis 10. quo tempore, fermè 30 annis poſt diluuium Deucalionéum, videtur contigiſſe ingens ille ſqualor qui *Phaethontis* incendij fabulæ occaſionem dedit; circiter 40 annis ante incendium Idæ montis in Creta.

Anno 2509 mundi *Moſes* octogenarius, nepos Leui filij Iacobi è matre Iocebed filiâ Leui, pronepos autẽ e patre Amram filio Caath filij Leui, eduxit *Iſraelitas ex Aegypto*, poſtridie Paſchatis, die 15 menſis

mensis naturalis 13 exactis annis 430 ab initio Peregrinationis Abrahami, vtpote 400 post natum Isaacum; ac 210, siue tribus ætatibus septuagenûm annorum post Israelis descensum in Aegyptum: Gen. 15 c. neutiquàm verò 430 annis ab huius descensu, sicut contendit in primis Genebrardus chronographus Pontificius; quãquam Exodi 12 c. totum illud tempus ab initio Peregrinationis Abrahami synecdochicè appellatur incolatus Israelitarum in Aegypto. Nomen autẽ proprium *Pharaonis* siue regis Aegyptij tunc potentè Dei manu Erythræo mari obruti videtur iuxta Manethonem fuisse *Amenophis*, scilicet idem ac antiquissimi illius, qui (digna attentione fabula) ab Hippopotamo raptus interijsse fertur.

A. 2531 m. *Danaus* Belo Aegyptio oriundus, a fratre expulsus Aegypto (vexatâ forte ciuilibus discordijs post extinctum semen regium tẽpore Exodi Israelitarum) *regnum Argiuum* 698 annis ante epocham Olympiadum occupasse dicitur. Nomen verò fratris qui Aegypti regnum obtinuerit fertur *Rameſſes*, sed & *Aegyptus*, atque inde hoc primùm tempore idem terræ illi nomen, quanquàm hæc potius videatur denominata a sede regni eodem tempore

conſtitutâ in præfecturâ ſiue regione (quæ Aegyptijs ſicut Hebræis dicta fuerit *Ai) Cupti* ſiue *Copti*; quemadmodum alia pars eiuſdem regni *Aethiopia*, atq; *Aethiopi*, ab *Ai Thebets* quod eſt regio Thebaica.

A. 2548 m. nempe anno 40 ab Exodo ex Aegypto, atq; 49 ſiue ſepties ſepteno conſurgente vice quinquageſimâ ſecundâ a mundi conditu, id eſt Iubiléo naturali 52 iuxta chronologiam noſtram, *Iſraelita* Moſis ductu (poſt mortem *Aaronis* fratris ſummi ſacerdotis, cui ſucceſſit ipſius filius *Eleazar* menſe quinto,) circa decimum diem ſeptimi mẽſis aſſecuti ſunt *primas hæreditatis ſuæ partes* duabus tribubus & dimidiæ addictas *trans Iordanem*: ſemeſtri ante *mortem Moſis* (poſtremo menſe eiuſdem anni.

A. 2549 m. ac primo ſeptimanæ naturalis 365, decimo die menſis primi, *Iſraelitæ Iehoſhuâ duce Iordanem tranſierunt*: atq; mox (poſtridie Paſchatis) terræ Chananææ fruges ceſſante Mannâ delibârunt; ſemeſtri poſtquàm primam illã portionẽ hæreditatis ſuæ trãs Iordanẽ creuerãt. Itaque omnino apparet iſthic ſtatuendã eſſe *epocham annorũ Sabbaticorũ atq; Iubileorũ Moſaïcorũ* ſiue legaliũ, iuxta rationes noſtras planè congruentium naturalibus;

& quidem iusto interuallo nouem Iubileorum post institutam primò Circumcisionem, quæ hoc ipso tempore denuò *Gilgale* repetita est: neutiquàm verò septem annis postea, vbi statuendam esse inter alios & præ alijs contendit Scaliger; quum toto illo septennio vniuersi Israelitæ de annonâ siue annuo ac satiuo prouentu terræ promissæ comederent, atq; ipsorum multi agros & vineas & oleas colerent; omnes verò nec septimo inde anno siue primo Sabbatico legali (quando Tabernaculum Gilgale, postquam integrum septennium a traiecto Iordane ibi constiterat, *Shilunem* translatum fuisse apparet,) hæreditates suas licèt sorte assignatas obtinuerint.

Eodem autem tempore, nempe circa annum 681 ante epocham Olympiadum, in Eusebij chronico legitur Phœnicem & Cadmum Thebis Aegypti profectos Tyrum & Sidonem occupasse: quum verisimilius sit *Phœnicem Cadmum* Tyro aut Sidone tunc profectum metu Israelitarum Aegypto egressorum, tandem occupasse *Thebas Græciæ:* vt & alium quendam eiusdem nationis quædam loca *Bithyniæ* siue *Mariandynæ.*

A. 2565 m. *mortuus est Iehoshua*, anno 17 ab ingressu in Chananæam; vtpote an-

nis 422 ante cœptum ædificari templum a Salomone, velut è sequentium Israeliticorum Iudicum ac Regum temporibus colligere licet.

Circa a. 2590 m. cum status reip. Israeliticæ esset valdè corruptus & religione & moribus, videtur *Chusan rex Syriæ Mesopotamiæ Israelitas* subiugasse plus minus 25 annis post mortem Iehoshuæ, subditosque tenuisse per 8 annos. Ad hæc autem tempora apparet spectare *initium imperij Assyriorum* (quos cum Syris pleriq; omnes historici Ethnici confuderunt, quanquam Mesopotamiam etiam peculiari ratione Assyriæ accensentes,) ex opinione Herodoti; ac seculum illius celeberrimæ *Semiramidis*, ex sententiâ Porphyrij, (quam pleriq; omnes post Ctesiam Nini primi regis Assyriæ vxorem falsò putauerunt) itémque Herodoti, si pro πάντα χρόνον quibus scribit ipsam claruisse ante Nitocridem Babyloniam legamus πεντακόσια, id est 500 annis iuxta eundem; vt & seculum *Zoroastris* Magi quocum illius maritus bellum gesserit, ex chronologiâ Xanthi Lydi apud Laertium. Atq; haud scio an eódem spectet quod & de *Chaldæis* contra *Phœnices* dimicantibus aliquanto ante, & de Actosâ quâdam cognomento Semiramide

de filiâ regis Assyriæ regnante cum patre paulò post hæc tempora reperitur in chronico Eusebij.

A. 2605 m. mortuus est *Othoniel* Iudex ac vindex *Israelis*, annis 40 post mortem Iehoshuæ. Iud. 3 c.

Mortuo haud ita pridem Othoniele, verùm *Phinehazo* summo sacerdote Eleazari filio adhuc superstite, videtur contigisse, post *Danitarum* expeditionem *Laishum*, horrendum illud scelus atq; excidium tribus *Beniaminitarum*; de quibus ad finem libri Iudicū. E quâ tribu nihilominùs proximus Iudex extitit posteà *Ehud*.

A. 2685 m. 80 annis post mortem Othonielis, videtur mortuus esse post Ehudem *Shamgar* vindex *Israelis*.

Circa a. 2699 m. ac 530 ante epocham Olympiadum (aut paulò anteà, sub quod tempus *Myris* siue *Mœris* fuit *rex Aegypti* iuxta Herodotum, vtpote ferè 900 annis ante ipsius seculum,) *Perseus* Acrisij regis *Argi* nepos ex Danae (a quo historici Græci *Persarum* gentem nomen accepisse tradiderunt) *Argi* regnum *Mycenas* transtulit; (circiter 12 annis ante exitum *Dionysii* siue *Bacchi* appellati *Liberi patris*;) *Pelope Tantali* Phrygiæ regis filio iam tunc obtinente partem *Pelo-*

ponesi. quo tempore *Debora* iudicauit *Israelem*. Circa idem verò tempus videtur *Boaz Rahabæ Ierichuntinæ filius*, nepos Nahassonis principis tribus Iudæ tempore Exodi, proauus autem Dauidis regis, vxorem accepisse *Ruthan Moabitidem*.

A. 2726 m. (mortuâ Deborâ quasi annis 40 post mortem Shamgaris, Iud. 5 c.) videtur *Gedeon* mirificè seruasse *Israelem* a vastationibus ingẽtium copiarum *Madianitarum* & *Amalekitarum* aliorumque populorum Orientis, occisis eorum principibus Orebo & Zebo atq; Zebacho & Zalmanâ: ac deinde ipse extitisse *Israelitarum* Iudex annis 40. Iud. à 6. ad 8 c.

A. 2769 m. occiso *Abimelecho* postquã tyrannidẽ vsurpauerat triennio post mortem patris Gedeonis, Iudex *Israelitarum* extitit *Thola* annis 23.

Circa a. 2771 m. vtpotè annis 458 ante epocham Olympiadum, *Athenis* decimus post primum Cecropem regnare cœpit *Theseus* Aegei filius; circiter 27 annis postquam *Atreus* & *Thyestes* Pelopis filij *Mycenarũ* regno potiti sunt, & post expeditionẽ *Argonauticam Iasonis* & *Herculis Argini*: vnoq; aut altero anno ante bellum *Septem* ducum dimicantium aduersus *Thebas*, causâ discordantium fratrum regum

um *Eteoclis & Polynicis*. quo tempore *Minos* regnabat in *Cretâ*; qui quum classe plurimum posset, primus prædones maris compescuit, vti refert Thucydides primo libro.

A. 2792 m. mortuo Tholâ, Iudex *Israelitarum* extitit *Iair* annis 22. A. 2814, mortuo Iaire, *Iephthes* annis 6. A. 2820, mortuo Iephthe, *Ibzan* annis 7.

A. 2822 m. Ibzanis Israelitarum iudicis tertio, *Troia* siue *Ilium* a *Græcis* summo belli imperatore *Agamemnone* Pelopis nepote Mycenarum rege capta est, circiter 130 annis ab eius conditu, annis 407 ante epocham Olympiadum iuxta canones Eratosthenis; regnumq; *Troianum* excisum circiter 300 annis postquam ipsum a Teucro & Dardano conditum erat, occiso postremo rege *Priamo*: triennio ante *Aeneæ* Troiani aduectum *in Italiam*, vbi tunc regnabat *Latinus* quintus a Iano & anno ferè 150 a regni eius initio.

A. 2827 m. mortuo Ibzane iudex *Israelitarum* extitit *Elon* annis 10. A. 2837, mortuo Elone, *Abdon* annis 8. A. 2845, mortuo Abdone, vindex & iudex extitit *Samson* annis 20.

A. 2865 m. mortuo Samsone, *Eli* summus Sacerdos *Israelitarum* etiam Iudex extitit

extitit annis 40.

Circa a. 2878 m. ac 14 magistratus Eli summi Israelitarum sacerdotis atq; iudicis, regnum *Sicyonium*, 962 annis ab initio ipsius, deuolutum est ad *Carnei Apollinis* sacerdotes, annis 33 antequam penitus deficeret: atq; regnum *Atheniense* translatum ad peregrinum hominem *Melanthum* Pyliensem Codri patrem.

A. 2902 m. ac 38 magistratus Eli, annis 80 post captam Troiam *posteri Heraclis* Argiui, 120 annis post illius mortem redeuntes in *Peloponesum*, Pelopis progeniem *Mycenarum* adeoq; vniuersæ illius peninsulæ regno expulerunt, regnáq; ipsi in eâdem condiderunt; *Eurysthenes* quidem & *Procles Lacedæmonis* siue *Sparta*, (circiter 384 annis postquam ea vrbs condita esset a Lacedæmone Eurotæ fratre,) quod sub binis regibus illorum posteris durauit inde ferè 880 annis; *Aletes* autem *Corinthi*, mutato eius nomine ab Ephyra quam paulò amplius 300 annis antea condiderat Sisyphus Aeoli filius.

A. 2904 m. quasi medio, nempe 40 ac vltimo magistratus *Eli*, *Philistæi* victis *Israelitis* duobus prœlijs ceperũt ab ijs *Arcam fœderis Dei*, retinueruntque apud se septem mensibus, vsque ad mensem secundum

um sequentis anni; qui erat primus ma-
istratus *Samuelis*, ac trecentesimus quin-
uagesimus postquàm Arca primùm *Shi-
nte* (quò hinc nunquã reducta est) con-
ituta fuerat tempore partitionis terræ
Canaan nouem tribubus & dimidiæ: quo-
modo apparet Paulum Apostolum ratio-
em subduxisse Act. 13 c. 20 v. vbi hodie
trecentos (putatis annis tyrannorum præ-
er annos Iudicum Israeliticorum) pro *tre-
centos* vulgò legitur.

A. 2934 m. ac 30 magistratus Samue-
lis, aut præterpropter, videtur *Saul Benia-
minita* ab ipso constitutus esse primus *Rex
Israelitarum* Gilgale, ferè vno anno post
primam designationem; cuius respectu
(neutiquam ætatis suæ) 1. Sam. 13 c. 1 v.
dicitur fuisse filius anni quum regnare in-
ciperet, enimuero eius phraseos sinistra in-
terpretatio sicut hîc Scaligero alijsq; of-
fendiculum, ita in Regum sequentium
temporibus magnam cõfusionem peperit.

A. 2936 m. ac 32 magistratus Samue-
lis, (quo fermè anno regnum *Athenien se*,
postquam *Codrus* morti se deuouerat, sub
Medonte eius filio mutatum est in princi-
patum,) videtur in locum Saulis a Deo
abdicati post regni biennium, *Dauidè tri-
bu Iuda* in regni *Israelitici* successionem,

ab

ab eodem Samuele vnctus: anno quadragesimo ante coniurationem eius filij Absalomi. ita equidem censeo interpretãdos duos alios numeros annorum assignatos, priorem dicto 1 Sam. 13 c. alterum verò 2 Sam. 15 c.

A. 2944 m. quasi medio occisus est *Saul Israelitarũ* rex in prœlio cõtra *Philistæos*, annis ferè 40 post captam arcam, siue post initium magistratus Samuelis qui illum creauit regem: quâ ratione videtur *Isbboshetb* ipsius filius ac successor in parte regni ad biennium, (nam partem statim obtinuit *Dauid*) dici filius 40 annorum quum regnare inciperet, 2 Sam. 2 c. quò etiam videtur respexisse Paulus, Act. 13 c. ascribens Sauli 40 annos.

A. 2962 m. 60 annis post Heraclidarum reditum in Peloponesum iuxta canones Eratosthenis, celebris contigit remigratio *Ionum* Athenis in oppositam Asiæ oram, verùm non tunc primùm, vt Græcorum pleriq; tradiderunt, sed anteà ab omni antiquitate è Iauan Iaphethi filio appellatam Ioniam: vt & *Aeolum* non multò posteà in vicina ijsdem loca.

A. 2984 m. propè medio, circa Israeliticum festum Tabernaculorum, postquam *Dauid* regnauerat 40 annos a morte Saulis,

, 38 a morte Isbosthethi, 32 ac dimidio *Hierosolymis*, anno fermè decimo post cō-rationem Absalomi, & quasi quadrante ni post ambitiosum conuiuium fratris us Adoniæ, videtur *Salomon* filius Daui-is & Bathshebæ vixdum viginti annos tus secundò cōstitutus esse rex *Israelis*, & *Zadoc* summus sacerdos; semestri an-mortem Dauidis, quando Hierosolymis gnauerat omnino 33 annis; & quadra-inta annis ante mortē ipsius Salomonis.

Anno 2988 m. vtpote anno 480 ab *Is-elitarum* Exodo ex Aegypto, mense se-ndo, secundo die mensis, incepit *Salo-on* quarto anno regni sui ædificare *tem-lum Iehouæ Hierosolymis*. 1 Reg. 6 c. quod annis postea anno regni sui 11 sub fe-tum Tabernaculorum consummauit atq; edicauit.

A. 3024 m. mortuo Salomone post-quàm regnauerat 40 annos, circa mensem , vt apparet, *Ieroboā filius Nabati Ephra-ita* potitus est regno 10 tribuum *Israelis* eficientium a regia progenie Dauidis: re-liquis tantum duabus *Iudæ ac Beniaminis Roboamum Salomonis filium* regem ag-oscentibus.

A. 3025 m. *Ieroboam filius Nabati* sub finem

finem primi anni regni sui constituit *Id*
latricum altare Bethele, festumq; instar
sti Tabernaculorum, die 15 mensis 8, q
ante annum videtur regnum adeptus es
nostrâ chronologiâ 390 annis ante ce
tam extremam obsidionem Hierosolym
rum a Nabuchadnezare, iuxta proph
riam Ezekielis 4 c. Videntur autem n
bis anni *Regum Israelis* deinceps omnin
accommodandi ad annos *Regum Iudæ* p
sterorum Dauidis, prout hi cõstanter su
expositi tum in libris Regũ tum posterio
Chronicorum, tanquam iusta ac stata m
sura illorum temporum: contrà verò, v
pleriſq; magnâ discrepantia factum est,
ad illos nequáquam. ac apparet plerum
que tot annos ascribi regibus Israelis quo
naturales siue regum Iudæ attigerint; id
óque vltimum tantummodò inchoatum.

A. 3029 m. anno 5 Reoboami, *Shusha*
rex Ægypti depopulatus est *Iudæam*, a
deinde vt videtur totam ferè Asiam, atque
Europæ partem. Etenim apparet hunc fu
isse vnum illum celeberrimum Aegypti
regem, quem Diodorus Siculus *Susakim* &
Sesoosim tanquam duos, Trogus autem
Vexorim siue Vesogem siue Vesosim, ple
riq; verò *Sesostrim* celebrarunt: atq; hanc
fuisse vnicam illam celeberrimam expedi-

tionem

nem quam Aegyptiorum Sacerdotes
historici partim Aegypto siue Rameſſi
nai fratri, tanquam & ipſi Sethoſi quo-
e appellato, partim autem Oſiridi pri-
rio deo ſuo, tanquã huic ſcilicet maxi-
è conuenientem imputarunt: ac deniq;
eodem vno ex ſpolijs Aſiæ conſtructa
ſe cùm alia plurima magnifica monumẽ-
in alijs Aegypti vrbibus, tum etiã *The-*
ſiue *Dioſpoli* auguſtiſſimũ illud in quo
fert Diodorus *Oſymandyem* (ſiue Iſman-
m ſiue Smendem ſiue Maindem aut
endem) tumulatum eſſe; quum Smen-
m, ſiue etiam Semendim ad Salomonis
oſtrema ac Reoboami tempora referat
Manethone Euſebius in Chronico.

A. 3041 m. mortuo Reoboamo regi
da poſtquàm regnauerat 17 annos, ſuc-
ſſit eius filius *Abia*.

A. 3044. m. mortuo Abiæ regi *Iudæ*
oſtquàm regnauerat ferè 3 annos, ſucceſ-
t eius filius *Aſa*.

A. 3045 m. mortuo Ieroboamo filio
abati regi *Iſraelis* anno 22 regni ſui in-
hoato, (quod & de ſequentibus regibus
ſraelis intelligendum eſt,) ſucceſſit eius
lius *Nadab*.

A. 3046 m. occiſo Nadabo anno 2 regni
i, regnũ *Iſraelis* obtinuit *Baſa* Iſſacarita.

A. 3059

A.3059 m. *Asa* rex *Iuda* anno 15 regni sui insignem victoriam obtinuit contra *Zerachum Aethiopem* cum numerosissimo exercitu inuadentem ipsius regnum, sub initium tertij mensis, ac festum Pentecostes, quo apparet de spolijs Deo sacrificatum esse, 2 Chron. 14 & 15 cc.

A. 3069 m. mortuo Basâ rege *Israelis* anno 24 regni sui, successit eius filius *Ela*.

A. 3070 m. occiso Elâ anno 2 regni sui, regnum *Israelis* occupauit *Zimri*. Eoque occiso die septimo, partem regni Israelitici obtinuit *Omri*, partem arripuit *Thibni*. Verùm Thibni mortuo anno quarto, deinde *Omri* toto eo potitus est.

A. 3076 m. *Omri* regni *Israelitici* metropolim cõstituit *Samariã*, anno 6 regni sui.

A. 3081 m. mortuo Omri anno 12 regni sui, successit eius filius *Ahab*.

A. 3085 m. mortuo Asâ rege *Iuda* postquàm regnauerat ferè 41 annos, successit eius filius *Iehoshaphat*.

A. 3100 m. ineunte *Ahab* rex *Israelis* *Benhadadum Syriæ regem* tunc potentissimum secundo prœlio fudit & cepit.

A. 3102 m. occiso *Ahabo* rege *Israelis* ad *Ramothas Gileadis* anno 22 regni sui (sub finem anni 17 Iehoshaphati regis Iudæ) successit illius filius *Ahaziah*. 1 Reg.

20 & 22 cc.

A. 3108 m. anno ſecundo poſtquam Iehoſhaphat rex *Iudæ* cooptauerat filium ſuum *Iehoramum* in regni ſocietatem; videtur demum mortuus eſſe *Ahaziah* Ahabi filius rex *Iſraelis*; quum iam ferè ſexennium, inde ab 18 anno Iehoſhaphati, pro illo decumbente ex lumbifragio regnum adminiſtrauerat, atq; annum etiam rex appellatus fuerat ipſius frater *Iehoram*. namque prædixerat *Elias* propheta eum, non quidē ſtatim moriturum ex illo caſu quomodo illius verba hactenùs vulgò intellecta ſunt, ſed omnino moriturū, & ad mortem vſque lecto affixum iri: 2 Reg. 1 c. vt ſine cauſâ iſtîc multi detraxerint 8, alij ſaltem 4 annos temporibus Regum Iudæ & Iſraelis.

Videtur autem paulò poſt hoc tempus ipſe *Elias* in cœlum ſublatus eſſe, quaſi annis 2121 poſt ſublatum Enochum, ac 931 ante aſcenſionem Chriſti.

A. 3110 m. mortuo Iehoſhaphato rege Iudæ poſtquam regnauerat 25 annos, ſolus regnum *Iudaïcum* obtinuit eius filius *Iehoram*.

A. 3118 m. mortuo Iehoramo regi *Iudæ* poſtquam ſolus regnauerat 8 annos, ſucceſſit eius & Athaliæ filiæ Omri ſororis

Ahabi filius *Ahaziah*; filius annorum 22 ætatis ſuæ, atq; 42 (noſtrâ interpretatione) regni *Samariæ* ab Omri auo eius materno conditi atq; fatalis etiam ipſi.

A. 3119 m. occiſo Ahaziâ rege *Iudæ* poſtquàm regnauerat 1 annum, in regione *Samariæ*, vnà cum Iehoramo auunculo ſuo rege *Iſraelis* anno 12 regni eius, a Iehu filio Nimſhi; regnum *Iſraeliticum* obtinuit ipſe *Iehu*, *Iudaicum* verò vſurpauit *Athalia* Ahaziæ mater.

A. 3121 m. tutelam regni *Lacedæmoniorum* pro fratris Polydectæ (vt apparet) regis mortui filio poſthumo Charillo ſuſcepit *Lycurgus* inſignis Legiſlator, 108 annis ante epocham Olympiadum iuxta canones Eratoſthenis: anno 30 Archelai alterius regis iuxta Euſebium.

A. 3125 m. interfectâ Athaliâ, operâ Iehoiadæ ſummi ſacerdotis, poſtquam regnum vſurpauerat 6 annis, regnum *Iudæ* obtinuit *Ioaſh* Ahaziæ filius.

A. 3132 m. tranſactis annis ferè 1300 ab initio regni Nini, circa id tempus quo *Lycurgus leges tulit Lacedæmoniis*, 97 annis ante epocham Olympiadum, & 313 ante captum a Cyro Aſtyagem, *Diogeneto* principatum gerente *Athenis*, ac eodem anno quo cõdita eſt *Carthago* a Phœniciâ

Didone

Didone anno 7 *Pygmalionis* regis *Tyri*, scilicet ferè 144 annis à iactis fundamentis templi Salomonici sub annū 12 regni Hiromi filij Abibali, iuxta chronologiam regum Tyri apud Iosephum historicum; anno 14 Iehu regis Israelis, & 8 Ioashi regis Iudæ, videtur regnum *Nini* siue *Nineues*, id est *Assyrium*, non quidem excisum vt vulgus historicorum Græcorum & Latinorum, Ctesiâ Cnidio fabuloso (saltem in Assyriacis & Medicis ante Cyrum) auctore contra Herodoti sententiam tradidit, sub Ariphrone principe Athenienſium; sed in magnum aliquod discrimen adductum, atq; ad aliam regum familiam translatum esse interfecto rege *Tonoscoolero*, aut siquo alio nomine fuerit; neutiquam illo Sardanapalo, sed amplius 160 annis antiquiore. Medio autem tempore extitisse quasdam *Dynastias Chaldæorum* innuit etiam Eusebius in Chronico.

A. 3147 m. mortuo Iehu rege *Israelis* postquàm regnauerat 28 annos, successit eius filius *Iehoahaz*.

A. 3164 m. mortuo Iehoahazo rege *Israelis* postquàm regnauerat 17 annos, solus regnauit *Ioash* eius filius, ferè triennio anteà in regnum cooptatus a patre.

A. 3165 m. interfecto a suis Ioasho rege

Iudæ postquam regnauerat 40 annos, successit eius filius *Amaziah*.

A. 3179 m. mortuo Ioasho rege *Israelis* anno 16 regni sui (circa initium 15 anni regni Amaziæ,) successit eius filius *Ieroboam* secundus.

Circa medium a. 3194 m. ac initium 16 Ieroboami filij Ioashi regis Israelis post mortem patris, interfecto a suis etiam Amazià rege *Iudæ* postquàm regnauerat 29 annos, regnare cœpit *Vziah siue Azariah* eius filius, statim, vt apparet: siquidem ille annus (2 Reg. 15 c.) videtur appellari 27 annus Ieroboami, non ab initio regni ipsius, sed a recuperato regno a patre è potestate *Syrorum*, nempe simili ratione ac anni Asæ, 2 Chron. 16 c. 1 v. putantur a diuisione regnorum Israelis & Iudæ. vt nihil necesse sit propterea 11 aut amplius annorum interregnum ponere inter Amaziam & Vziam, quod pleriq; faciunt.

A. 3220 m. medio, ac Vziæ 27 ineunte, anno Sabbatico, mortuo secundo Ieroboamo filio Ioashi, regnum *Israeliticum* decem tribuum sub eius filio & successore *Zacaria* seditionibus turbari & ruinam apertè minari cœpit, anno 65 (secundum prophetiam Isaiæ 7 c. vt apparet) antequam captâ Samariâ planè destrueretur,

ac

ac annis 196 ſiue quater ſepties ſeptenis poſt diuulſionem a Iudaico, totidemque amplius dodrante vnius ante euerſionem ipſius Iudaïci, iuxta noſtram chronologiam: atq; quaſi vno anno antequam *Vziah* rex *Iudæ* afficeretur *leprâ*, vt colligimus ex annis 25 quorum filius dicitur Iotham filius eius quando regnare incepit; intra quod tempus etiam videtur contigiſſe ingens ille *terræmotus* quo de *Amos* initio prophetiæ ſuæ, & Zacariah propheta 4 c. 15 v.

A. 3229 m. deſinente anno 35 Vziæ, ac 9 Zacariæ, circa quintum menſem naturalem conuenit celeberrima *epocha Olympiadum Græcarum*: vtpotè quæ putentur eo anno inſtauratæ in *Peloponeſo* ab *Iphito Eleorum* rege, ac deinceps obſeruatæ initio cuiuſq; quadriennij incepti ab eâdem tempeſtate. Erat autem quartus annus regis *Aegypti Bocchoridis* cognomento Sapientis iuxta Euſebium; & ſecundus *Ardyſi* regis *Lydiæ* primi, apud eundem in Chronico, (qui Herodoto eſſet decimus nonus ab Alcæo Heraclidâ qui Atyadis ſucceſſerit;) vt & ſecundus annuorum *Prytanum* poſtquam defeciſſent reges *Corinthi*. Cæterùm epocha Olympiadum nec

vſurpata fuit, nec admodùm certa eſt, niſi a paulò ante initium imperij Græcorum.

A. 3232 m. quaſi deſinente, interfecto *Zacariâ* rege *Iſraelis*, (cuius regni diſſoluti tantùm ſex menſium poſtremorum fit mentio quibus vigere cœpit coniuratio quâ ſublatus eſt, omiſſis præcedentibus annis, 12, non bis totidem quot conſurgunt ijs qui interregnum inter Amaziam & Vziam ponũt, ſicut poſtea aliquot Menahemi & Hoſeæ,) regnum Iſraeliticum occupauit *Shallum*.

A. 3233 m. quaſi ineunte, interfecto Shallumo poſtquã regnauerat 1 menſem, regnum *Iſraeliticum* occupauit *Menahem*.

A. 3234 m. medio, ac 41 Vziæ regis Iudæ ineunte, decimo anno ante mortem Menahemi regis Iſraelis, *Iſraelitæ* primùm facti ſunt *Aſſyrio* obnoxij, rege *Phul* inuadente terram ipſorum, biſſepteno Iubileo Moſaïco, ac 66 ab initio mundi, iuxta chronologiam noſtram.

A. 3244 m. mortuo Menahemo rege *Iſraelis* anno 10 regni ſui Aſſyrio tributarij (alioqui 12), ſucceſſit eius filius *Pekaiah*.

A. 3245 m. interfecto Pekaiâ anno 2 regni ſui, regnum *Iſraeliticum* obtinuit *Pekah* filius Ramaliæ.

A. 3246

A. 3246 m. mortuo Vziâ rege *Iudæ* postquàm regnauerat 52 annos, successit eius filius *Iotham:* tunc filius 25 annorũ; nempe, vt videtur, administrati a se regni pro patre leprâ affecto.

A. 3257 m. anno 12 Iothami regis Iudæ ac 13 Pekæ regis Israelis, (ferè quinquennio postquàm *Charops* primus Decennalium principum *Athenis* constitutus est,) anno 297 id est primo posterioris partis magnæ periodi nostræ constantis octodesexcentis annis, mensis 12 die 7, septimanæ die 4, *Babylone* regnare cœpit *Nabonazar* (titulo imperij appellatus in sacrâ scripturâ *Beladanus*, apud Ctesiæ eclogarium in Xerxis Persarum imperatoris historiâ Belitanas, apud Diodorum verò 21. Belesis summus Astrologus, apud Plinium autem 61. Belus inuentor sideralis scientiæ, nostrâ sentẽtiâ, quanquam a Scaligero improbatâ atque ludibrio habitâ,) beneficio regis Assyriæ, cui Babylonem videtur prodidisse ac proditione eiusdem regnum stipulatus esse. Atq; huius regni initio, quasi 1486 annis post initium regni Nemrodi primi Beli Babylonij conuenit *epocha annorum æquabilium constantium diebus* 365 absq; vllâ intercalatione, quos

ad noſtrum vſq; ſeculum vſurpant Aſtronomi. Cæterùm Nabonazari regnũ proximè anteceſſiſſe videntur duæ illæ *Dynaſtiæ*, prior *Chaldaica* (ab Euechoo conditore) annorum 224, poſterior *Arabica* (à Mardocente) 216 paulò minùs; quas forteàn maiore ex parte ſimul exiſtentes, tantum abeſt vt cum Georgio Monacho & Scaligero, antiquiſſimo Belo Babylonio antiquiores ſtatuam, vt vel ex ijſdem ipſum Nabonazarum Beladanem ac Beleſim atq; Belum appellatum eſſe probabiliter colligi poſſe exiſtimem. Verùm nomina & annos ſingulorum regum vtriuſque illarum Dynaſtiarum, vt & ſucceſſorum Nabonazari a Georgio prolatorum vſque ad Nabopollaſarum, perinde ac plerorumq; omnium regum & Babyloniorum & Aſſyriorum ante eiuſdem ſeculum, planè incerta eſſe cenſeo,

---

A. 3258 m. nempe proximè ſequente initium regni Nabonazari Babylone, circa menſem naturalem ſecundũ, *Romulus* ſanguinis genere ſpurius, conditione vitæ latro, in *Italiâ* iecit fundamenta Romani imperij, id eſt *vrbis Romæ* illius Babylonis myſticæ, ſub finem anni primi Olympiadis octauæ, iuxta noſtram chronologiam vetuſtiſſi-

tuſtiſſimi hiſtorici Romani Q. Fabij Pictoris ſententiæ congruentem; ſex annis poſterius quàm vulgò recepta opinio, auctore Varrone propter Tarrutij Firmani Mathematici Genethliaci apoteleſma ſtatuit, aſcribens vacationi Curulium magiſtratuum ob interceſſionem Tribunorum plebis poſt annos 14 quàm vrbs a Gallis capta erat (anno 363 a conditu) quinquennium pro quadriennio, ac primum Conſulem plebeium (quem etiam Diodorus Siculus refert ad annum 2 Olympiadis 104) poſtquàm ab ijſdem capta erat anno 24 pro 22; ac deniq; inter primum conſulatum M. Valerij Corui anno vrbis conditæ 403, poſtremumque, annos 49 pro 45 tantummodò aſcriptis a M. Cicerone, T. Liuio, Diodoro, Plutarcho, &c. Cæterùm neq; epocha annorum vrbis Romæ conditæ ſiue condi cœptæ, vſu vulgari recepta eſt niſi demùm ſub initium Romani imperij temporibus Iulij Cæſaris.

A. 3262 m. mortuo Iothamo rege *Iudæ* poſtquàm regnauerat 16 annos, ſucceſſit eius filius *Ahaz*: aliquot tamen annis anteà (vt apparet) in regni ſocietatem cooptatus a patre, anno ætatis ſuæ 20.

A. 3265 m. interfecto Pekâ rege *Iſraelis* anno regni ſui 20, (cuius temporibus

Tiglath-

Tiglathphulaſar rex *Aſſyriæ* captiuas deportauit duas tribus & dimidiam trans Iordanem, etiamq; Naphthalitim & Zabulunitim plerâque ex parte,) regnum Iſraeliticum occupauit *Hoſea*. quem decimo anno poſteà ſubiugatum coegit tributum pendere *Salmanaſar Aſſyriæ* rex.

A. 3278 m. mortuo Ahazo rege *Iudæ* poſtquam regnauerat 16 annos, ſucceſſit eius filius *Ezekiah*, filius 25 annorum ætatis ſuæ. quo tempore in *Aegypto* poſt Bocchoridem regnabat *Aſychis* ſiue Seuichis ſiue *Sua*.

A. 3284 m. anno 6 Ezekiæ ac 9 *Hoſeæ*, (nimirùm tributarij, alioqui 19,) atq; ſecundo *Mardocempadi* regis *Babyloniæ* (qui in ſacrâ ſcripturâ videtur appellatus *Merodac Beladan* filius Beladanis, id eſt Nabonazari) iuxta Ptolemæum Aſtronomum; *Salmanaſar Aſſyriæ* rex captâ *Samariâ* reliquũ populum 10 tribuum *Iſraelis* e terrâ ſuâ deportauit, regnumq; euertit; anno 260 diuulſionis eius a Iudaico.

A. 3288 m. Ezekiæ regis Iudæ 10, *Lydiæ regnum*, cuius metropolis erat *Sardes*, interfecto Candaule rege quarto ab Ardyſo vſurpauit *Gyges*, qui primus Græcis Tyrannus appellatus eſt; 170 annis ante captum a Cyro Crœſum, iuxta Herodo-

tum.

tum. Nominis verò Gygis etymologia Hebraïca est *Gug*.

A. 3292 m. Ezekiæ 14, post terræ *Iudaicæ* sabbatismum secundo, *Isaiâ* prophetante, stupenda illa plaga diuinitùs illata est exercitui *Senacheribi* regis *Assyriæ*, factumq; prodigiosum, sole resiliente ad ortum, signum recuperandæ e morbo lethali sanitatis *Ezekiæ*.

A. 3296 m. Ezekiæ 18, *Deioces* siue Deiocles in *Mediâ* regnare cœpit, 150 annis antequàm Cyrus Persiæ regnum obtineret iuxta Herodotum: quo auctore videtur *Media* ab *Assyria* regno defeciisse demùm circa mortem *Asarhadonis* filij Senacheribi; qui nostro iudicio fuit ille Græcis luxuriæ nomine celebratissimus *Sardanapalus*, dictus tanquam *Sarhadonphul*: quem pleriq; auctore Ctesiâ, vnà cum excidio regni Assyriæ atq; initio regni Mediæ ab Arbace, statuunt plusquàm 160 annis anteà, vt supra innuimus. is verò Arbaces, & tres vel quatuor ei subiuncti, fuerũt vel proreges regum Assyriæ ante Deiocem, vel reges Elymæorum & Persarum Medis finitimorum quo tempore Deioces eiusq; posteri regnabant in Mediâ.

Porro autem eodem anno, mense Quinctili Romano *Romulus* primus rex *Romæ* exerci-

exercitum luſtrans, ſole eclipſim patiente diſparuiſſe fertur, poſtquam regnauerat 38 annos ab eius conditu iuxta chronologiam noſtram: quam confirmare videtur etiam calculus Aſtronomicus, referens eclipſim ſolis ad 17 diem menſis Quinctilis ſiue Iulij Iuliani eiuſdem anni, circa meridiem Romæ.

A. 3307 m. mortuo Ezekiâ rege *Iudæ* poſtquàm regnauerat 29 annos, ſucceſſit eius filius *Manaſſes*.

A. 3309 m. anno 3 Manaſſis regis Iudæ, vtpote Olympiade 21, *Macedoniæ* regnum condidit *Perdiccas* pronepos *Caranı* ſiue *Cranai* Argiui, decimiſexti ab Hercule: quem perinde ac Sardanapalum multi Lycurgo coætaneum faciunt.

A. 3323 m. *Athenis* primus annuus Princeps conſtitutus eſt *Creon*.

A. 3333 m. *Ægypto* liberatâ ab *Æthiope* appellato *Tharacho* vel *Tearchone* iuxta Sacram Scripturam & Strabonem, at *Sabacco* vel Sabaccone iuxta Herodotum (circiter 200 annis ante huius ſeculũ, neutiquam verò 700 vt mendoſè legitur apud ipſum ἑπτακοσ. pro ἑκατον.) ac Diodorum; qui eam obtinuerit annis 50 poſt mortem Aſychis ſiue Suæ, repulſo Anyſi cæco, & præfecto Sethone Vulcani Aegyptij ſacerdote

cerdote tempore belli gesti cum Senacheribo, atq; deuastauerit celeberrimam eius vrbem *No*, posteà ab Alexandro-Magno reædificatam & appellatam Alexandriam: post anarchiam annorum 2, in eâdem reguli duodecim extiterunt annis 15, inquit Diodorus: quorum vnus *Psammetichus* cæteris tandem præualẽs, regnauit omnino 54 annos vti refert Herodotus: quomodo Herodotum & Diodorum hactenus inter se atq; Sacræ Scripturæ conciliandos esse arbitror. Atq; ab hoc quidem tempore Aegyptiaca historia apud Græcos habetur aliquanto certior.

A. 3351 m. *Cypselus Periandri* Sapientis pater obtinuit tyrannidem *Corinthi*.

A. 3362 m. mortuo Manasse rege *Iudæ* postquàm regnauerat 55 annos, successit eius filius *Amon*.

A. 3364 m. interfecto à suis Amone rege *Iudæ* postquam regnauerat 2 annos, successit eius filius *Iosiah*.

A. 3371 m. ac Iosiæ 7, *Cyaxares Phraortis* filius Deiocis nepos, regnare cœpit in *Mediâ*. cuius temporibus *Scythæ* demùm tertiâ expeditione grassati sunt in *Asiâ* 7 vel 8 annis, vt colligimus e Trogo Iustini, neutiquam verò 28 vt legitur apud Herodotum, εἰκοσὶ ὄκτω pro ἕπτα ἢ ὄκτω.

A. 3375

A. 3375 m. *Iosiah* ineunte anno regni sui 12 aggressus purgare *Iudæam* Idololatriæ sordibus videtur destruxisse Altare Idololatricum *Bethele*, annis 350 postquam extructum erat, ac 40 ante initium postremæ obsidionis Hierosolymorum a Babylonijs. 2 Chron. 34 c. Ezek. 4 c.

A. 3382 m. *Iosiah* anno regni sui 18 celeberrimum *Paschatis* festum egit ipso *Iubileo* Mosaico 17. a quo haud dubiè Ezekiel calculum annorum ducit initio prophetiæ suæ, quicquid contrà contendat Scaliger. erat autem annus 125 ab epochâ Nabonazari, ac tertius regni *Nabopollasari* in *Babyloniâ*, iuxta Ptolemæum Astronomum 5 l. 14 c.

A. 3395 m. ferè medio, sub initium Sabbatismi, occisus est *Iosiah* rex *Iudæ* postquam regnauerat 31 annos, in conualle *Megiddõtis*, à *Necone Aegypti* rege Psammetichi filio (anno 7 regni huius, quem annos 16 regnasse scribit Herodotus): quod initium exitialium calamitatum Iudæorum vniuersus populus, inprimis autem Propheta *Ieremias* publico luctu exposito libro *Threnorum* prosecutus est.

Iosiæ autem successit eius filius *Iehoahaz*. Eoq; post trimestre regni sui in vin-

cula

cula coniecto & deportato ab *Aegyptio*, rex *Iudæ* ab eodem constitutus est ipsius frater *Iehoiakim*. dicitur autem Iehoahaz filius 23 annorum quando regnare incepit; Iehoiakim verò iunior frater, 25: vnde apparet hunc numerum intelligendum esse de altero post hunc anno, quãdo mortuo in Aegypto Iehoahazo ad quem ius regni spectabat, Iehoiakim quasi suo iure regnare demùm incepit.

Eodem autem tempore (vt meam de huius seculi historiâ sententiam cum bonâ omnium veniâ quàm pauciſſimis proferam, eamq; cum aliorũ opinionibus conferendam & dijudicandam linquam posteris,) videntur magni motus extitisse in vniuersa *Asiâ*. Siquidem non multo antè exactis *Scythis*, quos apparet *Assyriæ regem* euocasse ad tutandum regnum suum vacillans præsertim cõtra crescẽtem *Medi* potentiam, contra quam etiam incitasset *Halyattem Lydiæ* regem fœdere coniunctum *Syenneſi* regi *Ciliciæ*; *Aegyptius* prosecutus patris sui Psammetichi victorias in Palæstinâ partas, hoc ipso anno post occisum regem *Iudæ*, magno prœlio superauit ipsum *Assyrium* (neutiquàm verò Babylonium vt plerique contra diserta Sacræ Scripturæ verba arbitrantur) ad *Carchemiſhum*

miſhum ſiue Cercuſium iuxtà Euphratem. Atq; hâc occaſione videtur ictum fœdus inter *Cyaxarem* regem *Mediæ* & *Nabopollaſarum* ſiue *Nabolaſarum* regem *Babyloniæ*, traditâ illius filiâ *Nitocride* in matrimonium huius filio *Nabuchadnezari* (cuius vxorem in Mediâ fuiſſe educâtam teſtatur Beroſus apud Ioſephum,) ijs conditionibus, vt dum Cyaxares Aſſyrium ab Aegyptiacâ plagâ titubantem impelleret ac proſterneret, hic Aegyptium inſolescentem retunderet: atq; hæc eorum conſulta, vti res requirebant, protenus eſſe data executioni.

A. 3398 m. *Cyaxares Medus* (Cteſiæ apud Diodorum & Alexandro hiſtorico apud Euſebium 9 l. de præp. Euang. appellatus Aſtibares vel potiùs *Aſſuares*, id eſt *Aſſuerus* Tobiæ vlt. c. & *Ahaſhuerus* Dan. 9 c.) coniunctus affinitate & fœdere cum Nabolaſaro patre Nabuchadnezaris euertit *Ninum Aſſyriaci* imperij metropolim vnà cum ipſo imperio, demùm anno ſecundo Olympiadis 43 iuxta Chronicon Euſebij, poſtquàm ſteterat ferme 120 annos a tempore captæ Samariæ, vti apparet ex ætate Tobiæ iunioris in fine libri illius Apocryphi, & vſq; ad tempora Nitocridis vxoris regis Babyloniæ quem Labynitum

appellat

appellat Herodotus 1 l.

Hoc autem anno annotatur à quibusdam *eclipsis solis* ad meridem 30 d. Iulij Iuliani siue 10 d. Phamenoth 141 a. Nabonazari: quam sanè appareat fuisse illam cuius occasione refert Herodotus eodem 1 l. diremptum fuisse prœlium inter *Cyaxarem* & *Halyattem* (scilicet ferentem suppetias *Assyriis*): ferè 22 aut 23 annis ante illam eclipsim quam primùm prædixerit *Thales Milesius* Sapiens, auctore Plinio 2 l. 12 c. ac fermè 27 ante fœdus ictum inter Halyattem & Astyagem, quo de Solinus 20 c. suffragante Chronico Eusebij. quæ tria tempora distincta plerique imperitè confundunt.

A. 3399 m. anno quarto siue medio septimanæ, *Iehoiakimi* autem filij Iosiæ regis *Iuda* tertio (scilicet post Iehoahazi fratris captiui mortẽ in Aegypto) vti refert Daniel prophetiæ suæ initio, aliàs autem vti refert Ieremiah 46 & 25 c c. quarto, *Nabuchadnezar* a patre Nabolasaro siue Nabopollasaro missus cum regio imperio, vti testatur Berosus, contra *Aegyptium* (quâ occasione eundem *annum primum regni Nabuchadnezaris* censuerunt Ieremias & Daniel), ei item ad *Carchemisium* profli-

gato, quicquid ipſius erat intra Euphratem & Aegypti fines abſtulit; atq; *Iehoiakimum regem Iudæ captis Hieroſolymis* in poteſtatem ſuam redegit, deſinente eodem quarto anno regni ipſius circa nonum menſem naturalem, vt colligere licet è ieiunio indicto, Ierem. 36 c. quo tempore ipſe *Daniel* cum alijs e ſemine regio procerumq; Iſraelis iuſſu Nabuchadnezaris capti ſunt & traditi in diſciplinam literarum & linguæ *Chaldæorum*, quo magis idonei fierent miniſterio regis.

A. 3401 m. incunte, *Nabuchadnezar* anno ſecundo regni ſui, accepto in Syria nuncio *de morte patris Nabopollaſari* (qui regnauit omnino 21 annos iuxta Beroſum apud Ioſephum 10 l. Antiq. & Euſebium 9 l. Euang. præp. neutiquam verò 29 aut amplius, vt Scaliger magnâ quidē ipſe quam alijs obijcit in notis ad Euſebium & Canonibus vexatione & deprauatione hiſtoriæ ſacræ pariter ac profanæ huius ſeculi contendit ex vnico loco mendoſo Ioſephi 1 l. contra Apionem,) maturauit reditum in *Babyloniam*, conſtitutis qui *victoriarum ſpolia & captiuos* eódem deducerent; vbi *regno à Chaldæis* inauguratus eſt. Itaq; hoc anno initium regni, id

id est, *Monarchiæ Nabuchadnezaris* iuxta Babylonios adeoque *imperij Babylonici & captiuitatis Babylonicæ* fecerũt Daniel 2 c. atq; ipse Ieremiah postquàm Aegypto relictâ transmigrasset in Babyloniam, vt apparet e fine prophetiæ ipsius.

Anno autem proximè sequente, nempe secundo huius epochæ a nobis restitutæ, *Daniel* exacto ferè triennio captiuitatis suæ exposuit *Nabuchadnezaris somnium* ipsius de *quatuor Imperijs*. 1 & 2 c c.

A. 3406 m. mortuo Iehoiakimo rege *Iudæ* postquàm regnauerat omnino 11 annos, successit eius filius *Iehoiacin* siue *Iechoniah*: dictus 2 Reg. 24 c. filius 18 annorum quando regnare incepit, illorum quidem ætatis suæ; at 2 Chron. 36 c. tantùm 8 annorum, vtique nostrâ interpretatione cœptæ potentiæ Nabuchadnezaris Babylonij ipsi fatalis. siquidem post tres menses & 10 dies, ipso a copijs *Nabuchadnezaris* secundò obsidentibus *Hierosolyma* ad deditionem coacto, & in *Babyloniam* deportato; sub initium anni sequentis rex *Iudæ* à *Nabuchadnezare* constitutus est *Zedekiah* ipsius patruus. Haud rectè verò ab hoc tempore initium captiuitatis Babylonicæ 70 annorum petit inter alios Scaliger.

A. 3410 m. videtur *Zedekiah* rex *Iudæ*

anno quarto regni sui cœpisse studere nouis rebus *contra Babylonium*, communicato cum finitimis principibus consilio detrectans illius iugum; ideoque ibi statui initiũ regni eius, nimirũ absoluti, Iere. 27 & 28 c c. vno anno ante eum quo *Ezekiel in Babyloniâ* prophetare inciperet, quem quidem tricesimum a proximo Iubileo & Paschate illo Iosiæ perperàm tricesimum Nabopollasari ac primum Nabuchodonosori post illius mortem statuit Scaliger.

Cæterùm eodem anno 3410 m. mortuo *Psammi Ægypti* rege Neconis filio postquam regnauerat 6 annos successit *Apries* siue *Vaphres* siue *Hophra*, vir arrogantissimus teste etiam Herodoto.

Eodemque anno mortuus est *Cyaxares Mediæ* rex iuxta eundem Herodotum. Videtur autem nobis *Cyaxares* siue *Assuerus* moriens reliquisse vnicum filium (saltem legitimum) *Darium Medum* quasi trimulum (cuius soror ex eâdem matre fuerit *Mandane* mater Cyri Persæ), eumq; pariter ac regni tutelã siue spe siue metu commisisse genero suo Nabuchadnezari; qui eidem præfecerit *Astyagem* e consanguineis Nitocridis vxoris suæ, fortean huius auunculum: ita vt ab hoc tempore *Media* fuerit *sub imperio Babylonico*, nec admodum

dum libentibus *Medis*, & magno ſuo malo reſiſtẽtibus *Elamitis ſiue Elymais*, etiam ipſis ſpectantibus ad Cyaxaris regnum: vt colligimus e Ierem. 25 c. 25 v. & fine 49 c.

Porro autem eodem anno *Solon* vnus è ſeptem Sapiẽtibus Græciæ celebratis hoc ſeculo, leges *Athenienſibus* tulit, quo anno ipſe Athenis annuum Principatum geſſit.

A. 3415 m. anno 9 *Zedekiæ* regis *Iudæ* poſt deportationem Ieconiæ, menſe naturali 10, die 10, vrbs *Hieroſolymorum* tertiò & poſtremò cœpta eſt obſideri a *Babylonijs*; reuolutis annis 390 ab extructo altari Idololatrico Bethele iuſſu Ieroboami filij Nabati regis Iſraelis, ac 40 ab eodem deſtructo iuſſu Ioſiæ regis Iudæ; iuxta noſtram chronologiam & interpretationem 23 c. 2 l. Reg. collati cum 34 c. 2 l. Chron. quo illius hyſterologia ſignificatur; atq; 4 c. prophetiæ Ezekielis.

A. 3417 m. *Zedekiæ* regis *Iudæ* 11, regni vero *Nabuchadnezaris* 19, ſabbatico ex autumno anni præcedentis alioqui ſeptimanæ primo, 40 annis ab initio prædicationis Ieremiæ, menſe naturali 4, die 9, poſt ſeſquianni obſidionem tertiò a *Babylonijs* capta eſt vrbs *Hieroſolymorũ*: menſe autem 5 vnà cum *templo* diruta: deſinente 47 Olympiade, cuius anno tertio

cœpta erat postrema obsidio & quidem 70 annis ante secũdum imperij Darij Hystaspis, ineunte 48, iuxta Clemẽtem Alexandrinũ 1 l. Strom. etenim Clemẽtem ibi rationes suas referre ad postrema tempora *Zedekiæ*, vtcunque semel Ioiakimi nomen cum septimo anno Nabuchadnezaris interuenerit, satis constat e præcedentibus, teste quoque Eusebio in Chronico. adeo ad amussim congruit nostra chronologia etiam cum illâ antiquissimorum & eruditissimorum patrum Christianorum. Eodem autem tempore collecta est Iudæorum captiuorũ multitudo, quæ demùm anno sequente, imperij *Nabuchadnezaris* iuxta Babylonios 18, post captum autem Ieconiam 12, Babyloniam vsq; perducta est. 2 Reg. & Ierem. vlt. cc. atq; Ezek. 33 c. 21 v. Erat verò templi diruti annus 430 postquàm a Salomone condi cœptũ erat.

Anno 3431 m. die 10 mensis naturalis 1, reuoluto spatio vnius Iubilei a Paschate Iosiæ, & 18 a Iehoshua, verùm 70 integrorum ab initio mundi iuxta nostram chronologiam, oblata est *Ezekieli* anno 25 postquam ipse vnà cum rege Ieconiâ captiuus factus est, ac 14 post euersa Hierosolyma, *visa illa de restitutione populi atq;*

vrbis

urbis ac templi Dei. 40 c. & sequentibus.

A. 3433 m. ineunte, ac 27 captiuitatis Ezekielis, videtur *exercitus Nabuchadnezaris captâ Tyro* (quam Scaliger statuit captã quinquẽnio ante euersã Hierosolyma contra Ezekielẽ 26 c.) post difficillimã 13 annorũ obsidionẽ, statim inuasisse atq; nullo negotio *occupasse Aegyptum*, vtpote diuturno bello ciuili post clades acceptas Cyrenaïco viribus eneruatam; Ezek. a 29 ad 33 c. ibique iterũ deuastatâ inter alias vrbe *Nõ*, hæsisse triennio agens rapiensq; omnia, scilicet a fine anni 22 vsque ad finẽ 25 regni *Apriæ* ac vndecimum rebellionis *Amasidis*, vt colligimus è differentijs annorum horum regum apud Herodotum & Diodorum: quo tempore, nempe sub initium a. 3436 m. videtur regnum denuò traditum *Amasidi* (44 annis ante mortem ipsius) tenendum beneficio *Nabuchadnezaris*, seu potius *Nitocridis* vxoris eius, cui nimirùm conuenerint pleraq; quæ Diodorus auctore Ctesiâ ascribit Semiramidi: quãdoquidem sub hoc idem tempus perductâ ad summum potẽtiæ fastigium monarchiâ *Babylonicâ*, *Nabuchadnezar* ob nimiam superbiam *septennali dementiâ* affectus esse videatur.

A. 3443 m. ac 37 captiuitatis Ieconiæ

desinentibus, mortuo Nabuchadnezari regi *Babyloniæ* postquàm imperauerat omnino 43 annos (non tantùm 30 vt Scaligero visum) a morte patris, iuxta Berosum nostræ chronologiæ historiæ sacræ 2 Reg. & Ierem. vlt. c c. planè congruentem, successit filius *Euilmerodac.*

Eodem autem tempore mortuo Halyatti *Lydiæ* regi Sadyattis filio Ardyis nepoti Gygis pronepoti, postquam regnauerat 57 annos, successit *Crœsus* ipsius filius: qui totâ minore *Asiâ*, excepta Lyciâ & Ciliciâ, potitus est.

A. proximè sequente, scil. 3444 m. *Seruius Tullus* sextus rex *Romæ*, anno regni sui 12 ac Romæ conditæ 187, primum ciuium Romanorum *censum* instituit.

A. 3446 m. biennio post mortem Nabuchadnezaris, *Cyrus Persa* rebellauit *Astyagi*, eumq; debellauit sub finem anni 1 Olympiadis 55, postquam regnum *Mediæ* ac *Persiæ* obtinuerat 35 annis a morte Cyaxaris. Videtur autem Cyrus (vti nos colligimus e Megasthenis historiæ fragmento apud Iosephum) ad hoc bellum incitatus esse a *Dario Medo* auunculo suo; vtpote quem Nabuchadnezar tutelæ suæ commissum a Cyaxare siue Assuero ipsius patre, in aulâ Babylonicâ satis quidem lautè

lautè ac delicatè educauerit, sed virum factum neutiquàm in regni hæreditatem ac possessionem miserit, verùm apud se detinuerit, idq; honoris prætextu; (cuiusmodi artes quosdam Romanorum Imperatorum posteà exercuisse narrant historici, ac nominatim Tiberium Suetonius in eius vitâ, 37 c.) inde autem factum vt Nabuchadnezare mortuo statim Darius nouis rebus studere cœperit: nec multò pòst a Cyro sororis suæ filio strenuo bellatore in patritum *regnum Mediæ* debellato Astyage inductus, illi *regnum Persiæ* prœmij loco concesserit.

Videtur autem (vt quidem nos porro ex eiusdem Megasthenis & Berosi fragmentis colligimus) eodem tempore *Euilmerodac Babyloniæ* rex luxuriæ & inertiæ deditus constituisse imperij procuratorem siue vicariũ *Naragalrazarem* sororis suæ virum; cuius deinceps maxima in Babylonico imperio potentia fuerit per 4 annos, vsq; ad mortem ipsius Euilmerodaci.

A. 3447 m. *Chilon* vnus e septem Sapientibus Græciæ, *Lacedæmone* primus Ephorus extitit.

A. 3450 m. mortuo Euilmerodaco rege *Babyloniæ*, *Naragalrazar* eius imperij vicarius, quum fuisset gener Nabuchadnezaris,

zaris, conatus acquirere imperium suo filio *Laburazarchadi* Nabuchadnezaris nepoti ex filiâ, quem Scaliger Belshazarem perperàm facit, præterito Euilmerodaci filio *Nabonedo* siue *Labynito*, nimirum illo haud dubio nobis *Belshazari*, quanquam Scaliger hunc scilicet Darium Medum putat; ab huius factione post mẽsem nonum ipse vnà cum filio suo adhuc puero (quum Belshazari Daniel plane cõtra Scaligeri opinionem vxores & cõcubinas atq; tertium annum imperij ascribat;) e medio sublatus est: ac imperium pacatum obtinuit *Belshazar*.

A. 3458 m. ac 2 Olymp. 58, sub hyemem *Cyrus* anno regni sui Persici 13 victor intrauit *Sardes Lydiæ* metropolim & captiuum fecit locupletissimum eius regem *Crœsum* Babylonij confœderatum, postquam regnauerat aliquanto plusquam 14 annos. quo tempore *Pisistratus Athenis* tyrannidem obtinuit.

Eodem autem anno completo videtur *Amasis Aegypti* rex defecisse ab imperio Babylonico, 40 annis ab initio calamitatum Aegyptiorum bello Cyrenaïco, iuxta prophetias Ezekielis 29 c. & deinceps.

Sub initium a. 3468 m. circa finem anni 17 imperij *Nabuniti* siue *Belshazarii* post

post oppressum Laburazarchadem, 67 annis ab initio imperij Nabuchadnezaris post mortem Nabulasaris patris sui, iuxta Berosi pariter ac nostram chronologiam, *Cyrus* instituit *expeditionem contra Babylonem.*

A. 3469 m. *Cyrus Babylonem cepit* noctu agentem solenne festum *Sakæorum* siue Bacchanalium, circa mensem naturalem 5 cui respondebit Lous Macedonicus, secundâ æstate post susceptam expeditionem contra ipsam iuxta Herodotum; anno regni sui Persici 24, id est, septimo ante mortem suam; iuxta Xenophontem, (quem licèt demus multa potius ad boni principis exemplar quàm ad historiæ fidem de Cyro scripsisse, tamen non est cur existimemus eum magis tempus quàm locum imperij eius commentum esse, quicquid contradicat Scaliger;) annis 36 & paucis mẽsibus post captam Tyrum a Nabuchadnezare iuxta annos præfectorum Phœnicæ deinceps e fragmento historiæ Phœnicum apud Iosephum; atq; exactis 70 annis ab initio regni Nabuchadnezaris e susceptâ expeditione contra Neconem Aegypti regem iuxta Sacram Scripturam: cui quoad horum temporum rationes

tiones adeo mirum in modum consentaneæ deprehenduntur historiæ Ethnicæ iuxta nostram omnium collationem atq; interpretationem.

Imperium verò *Belshazaro* eâdem nocte *interfecto à Medis & Persis* eodem modò quem describunt Xenophon atq; Herodotus quasi agentes Danielis interpretes (contrà quàm statuit Scaliger 17 annis antea interfectum a conuiuis suis), tradidit *Cyrus Dario Medo* (neutiquàm verò eripuit vt idem arbitratur) auunculo suo tunc 62 annum ætatis ingressso, quippe cuius auspicijs magis quàm suis bellum hoc susceperat. quâ ratione apparet Cyri ac successorum ipsius, quanquam Persarum, imperium a clarissimis Græcorum Historicis Herodoto ac Thucydide alijsq; iuxta popularem sui seculi cõsuetudinem loquendi non minùs appellari Medicum quam Persicum. Atq; hic proculdubio erat ille Darius quo regnante Thales Milesius aliam solis eclipsin prædixisse fertur; & ad cuius tempora pertigerit Xenophanes philosophus qui circa quadragesimam Olympiadem claresçere cœpisset: nequis miretur eum Græcis prorsus ignotũ fuisse.

Quum autem videatur hic *Darius* præter consanguinitatem cum Imperatrice Baby-

Babyloniâ Belshazaris aulâ, etiam ipse in aulâ eiusdem imperij ab infantiâ fuisse educatus, & multò maximam ætatis partem in eâdem versatus, ac fortasse ab ipso Nabuchadnezare per blanditiam quasi in liberorum numerum adoptatus iuxta morem posteà frequentatum ab Imperatoribus Romanis: vtiq; videretur *imperium Babylonicum siue Chaldaicum* eo rerũ potiente nondum planè abolitum, sicuti innuit *Daniel propheta*: qui nihilominus, conferens Babylonis captiuitatẽ ac stirpis Nabuchadnezaris excidium a Medis & Persis, idq; Cyro belli duce tot annis anteà nominato ab Isaiâ prophetâ, cum initio ac duratione imperij Nabuchadnezaris & filiorum eius definitis a Ieremiâ, Ierem. 25 & 27 c c. (sicut 2 Chron. vlt. c.) & cum tempore quo ipse primùm factus est captiuus; circa medium huius anni videtur comparasse se ad illam sanctissimam *deprecationem* (9 c.) pro liberatione Populariũ suorum, quam (non 25 aut 27 annis vt Scaligero placet, sed) intra annum vnum aut alterum inde abesse secundum gratiosa Dei promissa confisus erat, cuius occasione eodem tempore accepit *admirabilem illam prophetiam de tempore Aduentus Messiæ* (cuius typus erat Cyrus),

qui

quì populum ſuum in veram libertatem (cuius item typus erat liberatio a Babylonicâ captiuitate) aſſerturus eſſet. Verùm quod quidam pij ac eruditi viri cenſuerunt ipſum initium ſeptuaginta hebdomadum quibus Chriſti Aduentus tunc definitus eſt, neceſſariò faciendum eodem tempore quo prophetia de ipſis Danieli oblata eſt, vel initio monarchiæ Cyri: id quantum ego intelligo neutiquàm innititur fundamento Sacræ Scripturæ; quæ nec in fine 44 c. Iſaiæ, nec vſquam aliàs aſcribit Cyro edictum pro reædificatione vrbis Hieroſolymorum, ad cuius editionem illarum initium ſtatuitur.

Sub initium a. 3471 m. Dario Medo Cyaxaris ſiue Aſſueri filio mortuo vt apparet ſine liberis (exceptâ forte vnicâ filiâ Cyro nuptâ) anno ætatis ſuæ 63 (nimirùm climacterico) deſinente, *Cyrus ille Perſa Monarchiam obtinuit*: qui ſtatim primo anno imperij ſui, promulgato edicto, *Iudæis extorribus in patriam ſuam remeandi copiam fecit*, ac reduces *templum Deo Hieroſolymis* ædificare iuſſit: vnde ſeptuaginta ſeptimanis annorum (iuxta chronologiam noſtram) a cœpto condi templo Salomonico.

Itaq;

Itaq; eiusdem anni initio *Iudæi exactis septuaginta annis* postquam primi ipsorum captiui anno primo meri imperij Nabuchadnezaris Babyloniam perducti erant, in patriam suam remearunt: quò simul ac peruenerant, initio mensis septimi Hierosolymis extructo altari sacrificia ordinaria Deo offerre instituerunt, *Zorobabele* præside ac *Iesu* siue *Iehoshuâ* summo sacerdote. Quamobrẽ ab hoc tempore, id est, à medio anno sexto naturalis ac Mosaicæ septimanæ, ijdem inierunt *nouam rationem annorum Sabbaticorum* (sicut Christiani dierum Sabbati ex resurrectione Christi), ita vt septimus ab hoc annus haberetur sabbaticus: quam deinceps in terrâ suâ quam diu staret secundum templum, cuius fundamenta ab ipsis iacta sunt sequente vere, obseruarunt; ac eo quoq; euerso dispersi per orbem terrarum ad hanc vsq; diem obseruant.

A. 3476 m. extincto Cyro anno regni *Persici* 30, monarchiæ 7, epochæ verò Nabonazari 219, successit eius filius *Cambyses*. hic autem Ezræ 4 c. 6 v. videtur appellari *Assuerus*, tanquam primus monarchiam Persicam hæreditario iure consecutus.

A. 3480 m. ac 3 Olymp. 63, *Cambyses* anno

anno 5 imperij ſui poſt mortem patris inuaſit & mox obtinuit *Ægyptum*, capto rege *Pſammenito* filio Amaſidis mortui ſub illius aduentum, poſtquam regnauerat 55 annos iuxta Diodorum, nempe à primâ rebellione contra Aprien, ac 44 iuxta Herodotum, nimirùm a diſceſſu Babyloniorum ex Aegypto.

A. 3483 m. extincto Cambyſe poſtquâm imperauerat 7 annos ac 5 menſes à morte Cyri, imperio potitus eſt Magus nomine fratris eius alterius filij Cyri, quē Ezra 4 c. 7 v. appellat *Artaſhaſtum*, Herodotus Smerdim, alij aliter.

A. 3484 m. quaſi ineunte, interfecto Mago poſt imperij ſeptimeſtre, anno epochæ Nabonazari 227 monarchiam *Perſicam* adeptus eſt *Darius Hyſtaſpis* filius.

A. 3485 m. 2 imperij *Darij Hyſtaſpis*, ac 1 Olympiadis 65, *repetitum eſt opus reædificationis templi*, prophetantibus *Haggæo* & *Zacariâ*, eodem *Zorobabele* præſide & *Iehoſhuâ* ſummo ſacerdote: poſtquē impeditum fuerat quaſi a tertio anno imperij Cyri pluſquàm 12 annos, ac planè omiſſum ab imperio Magi. Sunt autem à cœptâ poſtremâ obſidione Hieroſolymorum, Babylonicâ ad hoc vſque tempus 70 anni iuxta Zacariam 1 c. 12 v. ac totidem

ab

ab euersione eiusdem vrbis & templi Dei ad 4 annum Darij, quo videtur confirmatum a Dario decretum pro tẽpli reædificatione, iuxta eundem Zacariam à 6 c. 9 v. ad finem 8 c.

Porro autem anno *Darij* 6 ac 3489 m. 3 die mensis Adar siue 12 naturalis, *templum secundum finitum ac dedicatum est*, annis 18 postquam reædificari cœptum erat: circa idem tempus quo Darius, receptâ Babylone, Assyriam quæ initio imperij eius rebellauerat, sub potestatem denuò redegit, vnde appellatus sit Assyrius, vti Ezra videtur significare in fine 4 c. Hanc sententiam antiquissimorum patrũ Christianorum vt apparet è Clement. Alexandrin. 1 Strom. & Eusebio, de tempore dedicati secundi templi, nixam præcipuè auctoritate Prophetæ Zacariæ, equidẽ longè præferendam censeo opinioni Scaligeri & aliorum qui post annos amplius 112, sub Dario Nothò ab ijsdem principibus Zorobabele & Iehoshuâ ipsũ dedicatum putant. Quod autem contrà obijcitur ex Iosepho de Sanballato socero Manassis fratris Iadduæ temporibus Darij vltimi & Alexandri magni; nimirùm aut hic alius fuit ab eo vnius filiorum Ioiadæ filij Eliashibi socero, cuius memi-

nit Nehemias vlt. c. aut æquè falsus & sibi ipsi contrarius est Iosephus in definiendo seculo Sanballati ac in pleraq; alia chronologia monarchiæ Persicæ. Cæterùm quòd Nehemiæ penult. cap. fit mentio Iadduæ in recensione generis summorum sacerdotum: ex eo nihil aliud colligi potest quàm quum Nehemias scribebat librum suum iam tunc scilicet imperante Dario Notho Iadduam esse natum summi sacerdotij hæredem, qui venerandâ senectute illud gessit sub Dario vltimo atq; Alexandro.

A. 3502 m. ac Romæ conditæ, id est condi cœptæ 245 quasi ineuntibus, *Tarquinio Superbo* rege exacto annui *Consules Romæ* primùm creati sunt. Autumno autem sequente templum *Iouis Capitolini* ibidem dedicatum est.

A. 3514 m. *Darij Hystaspis* 31, cui conuenit Nabonazari 257 iuxta Ptolemæum Astronomũ 4 l. 9 c. 20 annis post exactum Athenis Hippiam tyrannum Pisistrati filiũ, atq; 60 ante initiũ belli Peloponesiaci iuxta Thucydidem, *Persæ Atticam* inuadẽtes repulsam passi sunt in campis *Marathonijs* duce contra ipsos *Miltiade* Athenienſi, 6 die Attici mensis Boedromionis

dromionis respondentis ferè septimo naturali. Eodemq; anno post vnum aut alterum inde mensem *mortuus est Darius* iuxta Ctesiam, hic saltem fide dignum vtpote Persicos Annales secutum, postquam imperauerat ferè 31 annos, neutiquàm verò 36, vti vulgò putatur auctore Herodoto, nato posthæc fermè septennio; qui per errorem (fortè natum è vitiosè librarij incuriâ scripto ᾿ pro ᾿ apud Hecatæum Milesium) videtur duplicẽ apparatum quinquennem belli Græci ei ascribere, quum initio 7 lib. significet ipsum mortuum esse haud ita multo post aduentum Demarati regis Lacedæmoniorum, qui regno suo pulsus partim ob eam causam quòd Medis fauere diceretur, solum vertit aliquot annis ante pugnam Marathoniam. Circa idem verò tempus *Gelo* tyrannidem obtinuit *Syracusis Siciliæ*.

Dario autem in imperio successit *Xerxes* filius ipsius & *Atossæ* filiæ Cyri, circiter annum antea declaratus imperij hæres præterito seniore fratre Artobazane siue Artemene secundum sententiam Demarati. Apparet autem hunc *Xerxem* fuisse *Assuerum illum potentissimum Persiæ Imperatorem* qui receptâ *Ægypto* tertio anno imperij sui conuiuium

illud magnificentissimum fecerit quo de libro Esther. 11 c. ac deinde imperij anno 7 ineunte *Esthera Iudæam* vxorem duxerit.

A. 3524 m. anno proximè sequente bellum *Volscorum* duce *Cn. Martio Coriolano* contra *Romanos*, iuxta calculum Ciceronis in Bruto, Fabiano ac nostro planè cõgruentem, post Marathoniam pugnam 10, iuxta Thucydidem 11 l. 50 annis ante initiũ belli Peloponesiaci, *Xerxes* Imperator *Persiæ* quartus post Cyrum, ingente cum exercitu *Sardibus* mouens Sole eclipsim patiente 30 d. Chiac 267 a. N. ac 19 d. Aprilis Iuliani, *inuasit Græciam* iuxta prophetiam Danielis 11 c. 2 v. Anno autem sequente, sub initium Olympiadis 75 acceptâ clade nauali ad *Salaminem*, retrò primùm è Græciâ Sardes; deinde vero circa initiũ septimi mensis naturalis profligatis omnibus eius copijs & terrestribus & naualibus eodem die ad *Platæas* & ad *Mycalen*, Sardibus Susa vsq; se recepit; anno 297 ab epochâ Olympiadum, ac annis 48 ante initium belli Peloponesiaci iuxta canones Eratosthenis, qui vulgò ineptè referuntur ad initium belli Medici, quum fini conueniant. neq; enim *Olympia* priore eius belli anno vti referunt Herodotus atq; Diodorus, verùm *Pythia*, illo

seculo

seculo ferè æque celebria, statim post aduentum Xerxis mense Attico Thargelione quasi tertio naturali in Græciâ celebrata sunt.

A. 3526 m. anno 12 imperij Xerxis ac proximo post reditum in Persiam a bello Græco, iuxta nostram chronologiam, euênit ingens illud *Iudæorum periculum*, ac postea liberatio ab *Amane* Aulicorum eius potentissimo: atq; demum mactatio inimicorum ipsorum diebus Purim, 13 & 14 mensis 12, anno sabbatico a solutâ Babylonicâ captiuitate octauo;

A. 3534 m. quasi medio, anno 2 Olymp. 77 iuxta chronologiam nostram, Xerxe mortuo vel interfecto postquam imperauerat proximè 20 annos a morte patris Darij, successit filius eius (namq; *Artabanus* imperiũ affectãs mox interfectus est) & *Esthera* vt videtur Græcis appellatæ *Amestrîs* & *Amystris*, *Artaxerxes Longimanus* (qui Ezræ 7 c. appellatur *Artashast*, eodem scilicet nomine ac alter ille Cyri filius cuius nomine regnauit Magus,) agens annum ætatis ferè 14, nondum enim excesserat ex ephebis vt Iustinus ex Trogo innuit: plus minus semestri *ante Themistoclis Atheniensis fugam* in Asiam, vti locupletissimus auctor est Thucydides

cydides historicorum Ethnicorum coryphæus, ipse quoq; Atheniensis & tempore ei proximus; atq; post eum Charon Lampsacenus: quibus suffragantur etiam Plutarchus & Aemilius Probus seu potius Cornelius Nepos in vitâ Themistoclis. Quod autem Diodorus Siculus alijq; referunt fugam Themistoclis ad Xerxis tempora, statuentes imperij Artaxerxis initium sexennio posteriùs, demùm 4 anno Olymp. 78: horum *a Thucydide discrepantiam nequaquam esse de tempore quo Themistocles fugerit*, vti post Plutarchum & Nepotem hactenus pleriq; omnes & veteres & recentiores auctores quos equidem viderim arbitrati sunt, *sed de ipso initio imperij Artaxerxis*, manifestum fit ex eo quod narrat Thucydides l. 1. Themistoclem fugientem tempestate propè delatum fuisse in *exercitum Atheniensium oppugnantium Naxios*; ac diem & noctem in salo fluctuatum vltra citráq; eum, deinde appulisse Ephesum, nempe Persicæ ditionis vrbem: quum paulò superiùs, professus se rerum Atticarum tempora exactè digessisse quod non fecerat Hellanicus, adeóq; hanc ipsam rem gestam haud leuiter tangens, verùm immorans & tempori & occasioni eius accuratè explicandis,

scripserit

scripserit *Athenienses redegisse Naxios* sub potestatem suam antequàm celeberrimam illam victoriam duplicem *Cimone* duce eodem die mari & terrâ iuxta littus *Cypri* & in orâ *Pamphyliæ* obtinerent: cuius victoriæ tempus sicut clarissimè testatur Diodorus conuenisse in annum tertium Olymp. 77, quum etiam ipse Themistoclis fugam ad annum præcedentem referat: ita nullo modo fit verisimile Thucydidem, qui & Atheniensis & sub idem tempus natus erat, illud ignorasse, quandòquidem ipsum consignatum habuerit non solùm in popularibus suorum fastis *Archonte Demotione*, sed etiam publicè in templo; vbi, ut ampliùs refert Diodorus, Populus Atheniensis acceptas prædæ decimas Deo obtulit, atq; *Donarium* consecrauit cum *inscriptione* huiusmodi.

Ἐξ οὗ γ' Εὐρώπην Ἀσίας δίχα πόντος ἔνειμε,
καὶ πόλεας θνητῶν θοῦρος Ἄρης ἐπίχει;
Οὐδέν πω τοιοῦτον ἐπιχθονίων γένετ' ἀνδρῶν
ἔργον ἐν ἠπείρῳ καὶ κατὰ πόντον ἅμα.
Οἵδε γὰρ ἐν Κύπρῳ Μήδους πολλοὺς ὀλέσαντες,
Φοινίκων ἑκατὸν ναῦς ἕλον ἐν πελάγει,
Ἀνδρῶν πληθούσας. μέγα δ' ἔστενεν Ἀσὶς ὑπ' αὐτῶν
πληγεῖσ' ἀμφοτέραις χερσὶ κράτει πολέμου.

A nobis conuersâ in Latinum rudi Mineruâ, sic:

Ex quo Europam Asiæ disiunxére æquora ponti,
Atq; vrbes hominum Mars regit imperio:
Haud talis cecidit viris mortalibus vnquam,
Qualis erat terrâ pugna marique simul:
Quam commiserunt hi, qui prope littora Cypri,
Medorum dantes millia multa neci,
Phœnicum naues centum cepere, virorum
Plenas. Pugnæ Asis clade gemit geminæ.

Porro autem Thucydidem intelligendum esse de Artaxerxe tunc temporis imperante solo, nimirùm post mortem patris, neutiquam verò vt quidam nostro seculo opinati sunt, vnà cum eo adhuc superstite, è contextu historiæ eius liquet, atq; etiam à Plutarcho & Nepote ipsum ita intellectum esse omnino constat. Atq; hinc, quũ nemo pauciores quàm viginti annos imperij ascripserit Xerxi post mortem patris Darij Hystaspis; liquet Ctesiam Artaxerxis Memoris medicũ e Persarum fastis verius retulisse tempus mortis ipsius Darij ferè statim post pugnam Marathoniam, atq; annos imperij eiusdem tantummodò triginta vnum, quàm Herodotum illud quinquennio postea, atq; hos triginta sex. Itemq; apparet huius de Artaxerxis imperij initio erroris Diodoro alijsq; causa fuisse illud quinquennium ab Herodoto adiectum imperio Darij, insuperq; annum quo Xerxes vnà cum eo imperauit: sicut

idem

idem error videtur fuisse causa cur nonnulli 25 aut 26 annos Xerxis imperio ascripserint.

A. 3541 m. Artaxerxis Longimani 7, exactis chronologiâ nostrâ alteris annis septuaginta a solutâ illâ septuaginta annorum captiuitate Babylonicâ, *Ezra Iudæus* consecutus multas immunitates & priuilegia ac beneficia popularibus suis ab Imperatore ad sumptus ministerij Domus Dei, nec non instrumenta pretiosa ad necessarios eiusdem vsus, profectus est *Hierosolyma* cum magno suorum comitatu. Ezra 7 c. apparet itaq; præcipuè ex fine eiusdem capitis, hunc fuisse illum *Artashast* cuius idem Ezra meminit 6 c. 14 v. per anticipationem scribens Iudæos ædificasse & perfeciſſe domum Dei de sententiâ Cyri & Darij & Artashast siue Artaxerxis regis Persidis: præsertim quum eiusdem sumptibus etiam ædificatum esse circa templum constet ex Nehemiæ 2 c. 8 v.

A. 3542 m. *Aegyptus*, auctore *Inaro* Libyum rege, & Athenienſium auxilio freta, defecit ab *Artaxerxe*: quæ sexennio posteà, *Inaro* capto, sub illius potestatem denuò redacta est, præter *Amyrtæum* in palustribus regnantem.

A. 3553 m. quasi medio, anno primo septimæ nostræ magnæ periodi solis & lunæ constantis octodesexcentis annis vertentibus, *circa initium vicesimi anni Artaxerxis Longimani* demùm cœpit Deus exequi decretum suum de restauratione *vrbis Hierosolymorum*, missis inde vsq; in Persiam ad *Nehemiam Iudæum* Imperatoris pincernam nuncijs qui ipsum edocentes miserandum vrbis casum mouerent ad supplicandũ Imperatori pro eiusdem reædificatione: qui hâc occasione primùm Deo a nono mense naturali huius anni, deinde autem mense primo anni insequentis Artaxerxi ob eam rem supplex factus, obtinuit vnà cum præfecturâ *Iudææ* Imperatorium edictum *ad faciendum redire & ædificare* (vt nostrâ interpretatione phrasis Hebraica significat, Dan. 9 c. 25 v.) id est *ad dandũ facultatem reædificandi Hierosolymorum vrbem*. Ante hoc verò tempus ne verbum quidem neq; in Cyri neq; in Darij Hystaspis neq; in priore huius Artaxerxis edicto pro Iudæis, de vrbe, sed tantùm de templo Hierosolymitano restaurando extat. Hostes quidem Iudæorum ad priorem Artashastum scripserunt, eos reædificare vrbis mœnia: sed

vt ipsos edictum Cyri proteruè & perfidè transgressos esse insimularent impudentissimâ calumniâ, vt apparet. Iam verò *Nehemias* comparatum a se edictum adeo alacritèr executus est, (quo tempore *Eliashib* filius *Ioiakimi* filij Iehosbuæ erat summus sacerdos,) vt ante finem sexti mensis, quâlibet multis injectis difficultatibus & impedimentis domi foriſq; 52 dierum spatio, vrbis murum vndiquaque perfecerit: ac deinde, vt apparet, mense septimo eiusdem anni statum ciuitatis Hierosolymitanæ adeoq; totius reipublicæ & ecclesiæ Iudaicæ ordinauerit; ineunte anno sabbatico a solutâ Babylonicâ captiuitate duodecimo iuxta chronologiam nostram; quum initium eiusdem negotij ante annum, ipso medio naturalis annorum septimanæ, iuxta eandem, conuenerit exactis 84 siue duodecies septenis annis ab eo tempore quo *Danieli Prophetæ Angelus Gabriel significauit ab huiusmodi epochâ dinumerandas esse vndeseptuaginta septimanas annorum, id est 483 annos, vsq; ad Messiæ siue Christi in terris manifestationem*, iuxta veram antiquitùs maximè receptam interpretationem Prophetiæ illius, Dan. 9 c. vtcunq; a Scaligero alijsq; improbatam ob eam maximè causam quod nullus

vicesimus

vicesimus annus Artaxerxis reperiri potuerit qui rectà eò perduceret: quem equidem spero atq; adeò confido per Dei gratiam iam tandem à nobis inuentum esse; quod in illius gloriam & Ecclesiæ ipsius propagationem cedat.

A. 3559 m. 302 Romæ c. suprema potestas administrandæ *Romanæ* reipub. trãslata est *a Consulibus ad Decemuiros*: quibus anno tertio coactis abdicare circa autumnum anni 1 Olymp. 84 denuò creati sunt consules, 60 annis post exactos reges vt testatur Cicero 2 l. de Fin. Consulum intermediorum paria suppeditant vnum annum ampliùs: verùm habenda est ratio *anticipatæ creationis Magistratuum* interea per tres vices integro ferè anno; nempe anno 16 ferè semestri; anno 33, quasi mense; ac eo quo primùm creati sunt Decemuiri, propè quadrimestri, vtpote qui magistratum iniuerint idibus Maijs quasi congruentibus tunc quarto mensi naturali.

A. 3566 m. 309 R. c. primi *Tribuni militum pro Consulibus Romæ* creati sunt: quibus abdicantibus mense quarto consules denuo creati idibus Decembris: qui dies ex eo in aliquot deinceps annos ineundo magistratui solennis fuit. Veruntamen

Tribuni

Tribuni militum per annos 75 deinde, per interualla sæpius repetiti, pro consulibus Romanam remp. administrarunt.

Anno 3574 m. ineunte, dodrante anni ab initio Olympiadis 87 atq; *Epocha Enneadecaeteridis Metonis*, cœptum est geri *bellum Peloponesiacum* inter Athenienses & Lacedæmonios, quod durauit 27 annos.

A. 3580 m. vtpote septimo belli Peloponesiaci ad finem tendẽte vti refert Thucydides, mortuus est *Artaxerxes Longimanus*, postquàm imperauerat a morte Xerxis annos 46 integros ac paulò amplius. Huic autem successit vnicus filius legitimus *Xerxes iunior*, post sesquimensem interfectus insidijs *Secundiani* siue *Sogdiani* fratris nothi imperium vsurpantis.

A. 3581 m. occiso Secundiano intra septimum vsurpati imperij mensem, alius Artaxerxis filius nothus antea appellatus *Ochus*, hinc autem *Darius*, imperium obtinuit.

A. 3601 m. post *victos* anno præcedente *Athenienses* ad *Ægospotamos* a Lacedæmonijs, *Lysandro* duce, *captæ* sunt *Athenæ*, ibiq; constituti 30 *Tyranni*, ac finitum bellum *Peloponesiacum*. Sub quod tempus *Syracusij Siciliæ* regnũ occupauit

Dionysius

Dionysius senior: quando etiam *Lycophron Pheræus Thessaliæ* tyrannidem affectabat.

Eodem autem anno mortuo Dario Notho postquàm imperauerat annos 19 ac ferè dimidium, successit in imperio *Persico* eius & Paryſatidis filius *Artaxerxes Memor.*

A. 3602 m. Artaxerxis Memoris Persarum imperatoris secundo post mortem patris completæ sunt *septem primæ è septuaginta septimanis annorum Danielis*; quibus post Hierosolyma etiam aliæ vrbes in *Iudæâ* reædificatæ sunt, vt apparet: quas deinde exceperint magis calamitosa tempora (Danieli 9 c. 25 v. appellata, veluti nobis videtur, *tempora cum angustiâ*, cuiusmodi phrasis adhibita est 9 & 10 Psalm.) vnà cum neglectu cultus Dei apud Iudæos, per alias 62 septimanas vsq; ad Messiæ manifestationem. Videtur autem circa hoc tempus claruisse *Malachias* Prophetarum veteris Testamenti postremus.

A. 3604 m. *Cyrus Darij* Nothi filius susceptâ ex Asiâ minore expeditione (in quâ fuit *Xenophon* Athenienſis) contra fratrem Imperatorem, in acie interfectus est. Quo anno *Thrasibulus* triginta virorum tyrannidem *Athenis* sustulit.

Circa

Circa idem verò tempus videtur *Ægyptus* denuo a *Persis* defeciſſe, regnum occupante *Pſammetichus*: poſt quem *Nephre* ſiue *Hercynione:* ac poſt eum *Achori*, (*Euagorâ* interim affectante regnum *Cypri*,) intra annos 16.

A. 3620 m. 363 R. c. poſt regifugium 120 ratione annuorum Magiſtratuum, verùm 119 ratione anticipatæ eorum creationis (quæ anno proximè hunc præcedente refixa eſt ad calendas Quinctiles ab Octobribus cùm decennio anteà eò à Decembre refixa eſſet), menſe Quinctili quaſi medio congruente naturali quinto, *Roma à Gallis Senonibus capta eſt, præter Capitolium:* ſexennio antequam *Manlius* qui illud defenderat affectati regni reus de ſaxo Tarpeio deiectus eſt: cuius necẽ Diodorus confert in annum 4 Olymp. 100.

A. 3634 m. ac 2 Olymp. 102 ineunte, *Lacedæmonij à Thebanis Epaminondâ duce* victi ſunt ad *Leuctra*; 34 annis (iuxta canones Eratoſthenis) poſt victos Athenienſes à Lacedæmonijs ad Aegoſpotamos.

Eodem autem anno, 377 Romæ c. *reſpublica Romana ad ochlocratiam* deuẽnit per quadriennium, *Tribunis plebis* tollentibus comitia creandorum Curulium magiſtratuum vſq; ad annum quintum.

A.

A. 3637 m. Dionysio *Siciliæ* tyranno mortuo successit filius *Dionysius* iunior, annis 25 posteà exactus regno à Timoleone Corinthio.

A. 3643 m. cuius ferè initio pugnatum est inter *Thebanos & Lacedæmonios ad Mantineam*, anno proximo post creatum *Romæ* anno à condito ipsius 385 primum *de plebe Consulem*, mortuo Artaxerxi Memori postquam imperauerat ferè 43 annos à morte patris successit filius ipsius *Artaxerxes Ochus*: biennio antequam in *Macedoniâ* regnare inciperet *Philippus* Alexandri magni pater.

Circa idem tempus *Tacho* siue *Tao*, qui regnum *Ægypti* occupauerat, & multa contra *Persicum* Imperatorem molitus erat, redeunte ad obsequium, & fugam capessente in Persiam; *Nectanebus Ægypti* regno potitus est.

A. 3654 m. *Artaxerxes Ochus* susceptâ in *Ægyptum* rebellem expeditione, *Phœnicem* itidem rebellantem redegit sub potestatem: ac sequente anno ipsam *Ægyptum*, profligato rege Nectanebo, debellauit, ac durissimè accepit. Circa quod tempus etiam, *apodasmon*, id est, haud contemnendam partem *Iudæorum* (non quidem ex Aegypto vt contendit Scaliger) sed

sed è patriâ suâ participe calamitatum vtriusq; vicinæ & Phoenices & Aegypti, in *Hyrcaniam* vsq; migrare iussit.

A. 3666 m. ac proximo post susceptum à *Romanis* bellum contra *Samnites* anno 408 R. c. extincto Artaxerxe Ocho anno 23 imperij sui successit eius filius *Arses* siue *Asren*. Eodem anno *Philippus Macedo Athenienses* magnâ pugnâ vicit ad *Charoneam*.

A. 3669 m. extincto Arse quum iam imperaret anno 3, imperium *Persicum* obtinuit *Darius Codomannus Arsami* filius. Eodemq; anno 1 Olympiadis 111, interfecto *Philippo* regi *Macedoniæ*, dum celebraret nuptias *Alexandri Epirotarum* regis cum filiâ suâ successit eius filius *Alexander ille Magnus*, tunc annos 20 natus. His autem temporibus summus *Iudæorum* sacerdos fuit *Iaddua* filius *Ionathanis* siue *Iohananis*, filij *Ioiadæ*, filij Eliashibi.

A. 3675 m. *Alexander*, amplius semestri post victum *Darium* vltimo prœlio ad *Arbela*, interfecto eodem à Besso vno è satrapis suis, & occupatâ *Babylone*, *Monarchiam à Medis & Persis ad Græcos* trãstulit sub initium anni tertij Olympiadis 112; in cuius rei memoriam *Calippus Astronomus*

ſtronomus ibidem ſtatuit epocham Periodi ſuæ ſenum & ſeptuagenûm annorum.

A. 3682 m. paulò ante incepto *mortuus eſt Alexander Babylone*, anno 425 ab epochâ Nabonazari, ac cœptâ condi Româ, conſulatu *Petilij Libonis* & *Papirij Curſoris* ad finem tendente; quo tempore *Publilius Philo* primus *Proconſul Romæ* de captâ *Palæopoli* Græcâ vrbe in Italiâ triumphauit, iuxta noſtram chronologiam.

Mortuo autem Alexandro, eius *militiæ duces*, conſtituto rege titulo tenus *Aridæo* Alexandri fratre ex aliâ matre, impoſitoq; ei patris ſui *Philippi* nomine, imperium inter ſe partiti ſunt; è quibus intra ſeptem annos interfecto Aridæo, atq; *Olympiade* Alexandri matre, quatuor præualuerunt, vt colligere licet ex Diodoro Siculo, iuxta prophetias Danielis; ſcilicet *Ptolemæus Lagi* filius in *Alexandriâ Ægypti* ante 8 annos ab Alexandro inſtaurata, (vbi olim populoſa illa No ſita fuiſſe creditur, ac dehinc vſurpata eſt epocha annorum Nabonazari à morte Alexandri, qui ibidem tumulatus eſt;) *Antigonus* in Aſiâ, *Lyſimachus* in Thraciâ, & *Caſſander* Antipatri filius in Macedoniâ.

A.

A. 3684 m. ineunte, biennio post mortem Alexandri *Ptolemæus* occupauit *Syriam* inferiorem siue *Phœnicem*, ac *Iudæam*, victo captoq; Laomedonte cui illa sortitò obtigerat: quam deinceps ipse & ipsius posteri videntur obtinuisse vsq; ad Antiochum magnum Syriæ regem. Tunc autem summus *Sacerdos Iudæorum* fuit *Onias* Iadduæ filius.

A. 3693 m. ac 12 post mortem Alexandri, circa initium anni 1 Olympiadis 117, *Seleucus Antiochi* filius cognomento *Nicator* siue *Nicanor*, ope Ptolemæi victo Demetrio Poliorcete filio Antigoni ad Gazam Palæstinæ, recepit *Satrapiam Babyloniæ* siue superioris Syriæ: quam anno secundo post mortem Alexandri, subnato Perdiccâ, in secundâ Satrapiarum silato Perdiccâ, in secundâ Satrapiarum siue Prouinciarum imperij partitione primùm obtinuerat, ac triennio antehac Antigonus ei ademerat, vti refert Diodorus. falsum enim est quod in Canonibus asserit Scaliger, Seleucum perinde vt omnes successores Alexandri imperare cœpisse statim ab illius morte. Quapropter ob hãc causam hoc tempore instituta est *epocha Seleucidarum*, quæ postea Syromacedonũm & Syrogræcorum atque Græcorum

A

imperij in Asiâ appellata est: ac deinde per errorẽ epocha Alexandri; vt & illa ab Alexandri morte, Philippi patris Alexandri: eâ fortè occasione quod Philippus quidam Astronomus (cuius mentio apud Vitruuium & Geminum) fastos annorũ Nabonazari accommodauerit ad illam epocham, nomine annorum Philippi, intelligens vel se, vel Philippum Aridæum Alexandri fratrem qui rex pro eo primùm constitutus erat. Videtur verò nobis, pace omnium, ipsum *Seleucidarum imperium* hoc tempore Babylone institutum aliquanto post cætera illa quatuor Successorum Alexandri fuisse *paruum illud cornu* iuxta Danielem prophetam ab vno eorum exoriens: quandoquidem Seleucus potentię suę initium Ptolemæo acceptum retulerit, ac demùm supra ipsum euectus sit. Vnde etiam apparet non sine diuinâ prouidentiâ factum vt eadem epocha Seleucidarum apud Arabes & Sarracenos Mahometanos hodieq; appellata sit *Dhilkarnain* a duobus cornibus: quandoquidem ex horum altero nempe *Ptolemæorũ* imperio apprimè magno iam inde ab initio, hoc tempore exortum sit alterum *Seleucidarum* quod principio paruum posteà duorum manus euaserit.

A. proximè sequente, scilicet 3694 m. ac 20 ab initio monarchiæ Alexandri, exactâ vnâ enneadecaeteride primæ periodi Calippi, atq; 23 ab epochâ Nabonazari, interfecto a Cassandro Alexandro Alexandri magni & Roxanes filio, Ptolemæus & Antigonus & Lysimachus atq; Cassander regios spiritus animis cõcipientes fœdus inter se inierunt: quibus quidem *Seleucus* (vt ex Diodoro intelligere licet) adhuc nullo modo par habebatur; qui nihilominus hoc demum anno discessu Demetrij filij Antigoni *Babylone imperium confirmauit*. quapropter hoc anno *Chaldæi* mutantes annos solares Nabonazari lunaribus Calippicis (aut sanè trium enneadecaeteridum nempe 57 annorum Periodo) epocham Seleucidarum, vt etiam *Edesseni*; vno anno posteriùs quàm alij statuerunt.

Cæterùm his quoq; temporibus *Agathocles* regnabat in *Siciliâ*.

A. 3698 m. ac 2 Olymp. 118, *Antigonus* victoriâ partâ contra Ptolemæum elatus se cum *Demetrio Poliorcete* filio suo *Asiæ regem* appellauit, anno 3 post interfectum Herculem Alexãdri alterum & Barsines filium; cuius exemplo mox cæteri principes, *Ptolemæus Ægypti, Cassander Macedoniæ, Lysimachus Thraciæ*, atque etiam

etiam *Seleucus Babyloniæ siue Syriæ superioris* itidem fecerunt: illi quidem quatuor iamdudum regiam potentiam consecuti, Seleucus verò nuper assecutus suam, vti refert Diodorus.

A. 3704 m. ingente pugnâ victo atq; occiso Antigono rege Asiæ annis 18 postquàm defecerat ab Aridæo, *Seleucus cum Ptolemæo* partitus maximam eius imperij partem, in *Syriâ Cœlâ* condidit *Antiochiam*, quæ postea fuit sedes imperij Seleucidarum.

A. 3705 m. summus sacerdos *Iudæorum* extitit *Simon* Oniæ filius cognomento *Iustus*.

A. 3708 m. mortuo Cassandro rege *Macedoniæ* annis 19 postquàm eâ potitus erat, successerunt eius filij *Antipater* & *Alexander*, qui discordiâ regnum inde intra quadriennium ambo amiserunt.

A. 3712 m. regnum *Macedoniæ* obtinuit *Demetrius Poliorcetes*, annis 6.

A. 3717 m. *Templi Iudæorum* ministerium suscepit *Eleazarus* frater Simonis mortui Oniâ filio paruo admodùm derelicto.

A. 3718 m. regnum *Macedoniæ* obtinuit *Pyrrhus Epiri rex*, septimestri. Deinde autem *Lysimachus*, quinquennio. Quo tẽpore

pore *Dorices Getarum* rex inuasit *Thraciam*.

A. 3721 m. *Seleucus* capto Demetrio Poliorcete Asiæ rege postquàm regnauerat annos 17 à cæde patris Antigoni, *Syrie & Asie* totius imperio potitus est.

Eodē anno 40 à morte Alexādri, mortuus est Ptolemæus Lagi filius, constituto ante annum filio suo *Ptolemæo Philadelpho Ægypti rege*: quo tempore *Dionysius Alexandrinus Astronomus* suorum annorum cœlestium epocham fixit.

A. 3724 m. ac 50 constitutæ monarchiæ Alexandri, *Seleucus* septimestri post occisum *Lysimachum* atq; occupatum etiam *Macedoniæ* regnum, item 7 mensibus, demum ipse quoq; occisus est a *Ptolemæo Ceraune* Philadelphi fratre, qui idem regnum Macedoniæ inde vno fere anno obtinuit. Verùm Seleuco in *Syria & Asie* imperio successit filius *Antiochus Soter*, ac deinde nepotes: qui in prophetiâ Danielis 11 c. deinceps appellantur *reges Aquilonis*, nimirùm respectu regum Aegypti.

Initio proximè sequentis anni 3725 m. ac 468 R. c. *Pyrrhus Epiri etiam rex* inuadens *Italiam* à *T. Coruncanio* altero consulum *Romanorum*, sub exitum magistratus sui, pugnâ exceptus est: vti refert Orosius

Oroſius 41. (etiam ipſe quoad numerum annorum Romæ conditæ ad Fabij ac noſtras rationes proximè accedens:) paucis menſibus antequàm *Galli* initio ſequentis Olympiadis *Macedoniam Belgio* duce primùm inuaderent. A quibus mox occiſus eſt rex Ptolemæus Ceraunus. Atq; etiam qui Ptolemæo Cerauno ſucceſſerunt, *Meleagrus*, *Antipater*, & *Soſthenes*, mox quoq; diſperierunt aut diſparuerunt.

A. 3727 m. *Galli* ſecundò inuadentes *Macedoniam* duce *Brenno*, demum repulſi ſunt ab *Antigono Gonatâ* Demetrij Poliorcetę filio: qui inde regnum Macedoniæ ab Alexandri morte mire fluctuatum obtinuit ſibi & poſteris ſuis, donec Romanorũ prouincia facta eſt. Poſteà verò è Gallis *Bithyniæ* & *Phrygiæ* partes obtinentibus, *Gallogræcorum* ſiue *Galatarum* gens orta eſt.

A. 3741 m. 484 R. c. quaſi ineunte, Appio Claudio Caudice et M. Fuluio Flacco cõſſ. poſteriore ſemeſtri eorum magiſtratus, *Romanorum* arma initio *primi belli Punici* cõtra *Carthaginienſes* primùm extra Italiam (nempe in Siciliam) mota ſunt, ſub initium Olympiad. 120.

A. 3744 m. mortuo Antiocho Sotere *Syriæ & Aſiæ* rege poſtquam regnauerat

19 annos, successit filius *Antiochus Theoi*. Circa hoc autem tempus *Nicomedes* potitus regno *Bithyniæ*, Astacum vrbem ampliauit vt de suo nomine appellaretur *Nicomedia*.

A. 3750 m. summum *sacerdotium Iudæorum* post Eleazarum administrauit eius (vel potiùs Oniæ) auunculus *Manasses*.

A. 3758 m. mortuo Ptolemæo Philadelpho rege *Ægypti* anno 38 regni sui atq; epochæ Dionysij Alexandrini, successit filius *Ptolemæus Euergetes*.

A. 3759 m. mortuo Antiocho Theo *Syriæ* rege postquàm regnauerat 15 annos, successit filius *Seleucus Callinicus*, inter quem & Euergetē Ægypti regē, propter interfectam *Berenicem* huius sororem nouercam illius, cum paruo ipsius filio, graue bellum exarsit, iuxta prophet. Dan. 11 c. 6 v.

Eodem anno *Parthis* à Græcorum imperio recedentibus primus regnauit *Arsaces*. Atq; eodem tempore summum *sacerdotium Iudæorum* obtinuit *Oniæ Simonis Iusti* filius Iaddus *Iosephus* quidam magnæ auctoritatis inter ipsos extitit.

A. 3761 m. mortuo Antigono Gonatâ rege *Macedoniæ* anno 36 post occisum Ptolemæum

Ptolemæum Ceraunum, successit *Demetrius* filius.

Circa a. 3763 m. *Attalus* filius Attali fratris Philetæri & Eumenis, primus rex *Pergami* appellatus est.

A. 3771 m. mortuo Demetrio rege *Macedoniæ* postquam regnauerat 10 annos, regni administrationem pro eius filio *Philippo* relicto paruulo suscepit vitricus *Antigonus Tutor* siue *Doson*.

A. 3773 m. summus sacerdos *Iudæorum* extitit *Simon iunior* Onię iunioris filius.

A. 3779 m. expulso & extincto Seleuco Callinico *Syriæ* rege annis 20 postquã regnare inceperat, occisoq; rebelle eius fratre *Antiocho Hierace*, successit *Seleucus Ceraunus* Callinici filius.

A. 3781 m. regnum *Spartanum* ab Antigono Tutore prorege Macedoniæ, profligato *Cleomene* rege, 880 anno ab illius conditu euersum est.

A. 3782 m. interfecto Seleuco Ceraunõ postquam regnauerat 3 annos, regnũ *Syriæ* statim, nec ita multo post *Asiæ*, prius ab Attalo Pergameno, deinde autẽ ab Archęo occupatũ, obtinuit eius frater *Antiochus Magnus*: de cuius bellis cum regibus Aegypti agitur Dan. 11 c. a 10 ad 20 v.

Eodem

Eodem autem anno 525 *Romæ* c. iuxta Fabij Pictoris & noſtras rationes *Claudius Marcellus* & *Scipio Calvus* conſules (vt deinceps ſequentes) creati ſunt *idibus Martijs anticipatis*, ſub initium anni naturalis: quum præcedentes inde à captâ à Gallis vrbe calendis Quinctilibus magiſtratum inuiſſent: ita vt à primis Tribunis militum huc vſq; alius fere annus anticipatus ſit, cuius ratione ab omnibus Faſtorum & Conſulum Romanorum digeſtoribus (quos quidem videre nos potuimus) neglecta ab his temporibus ſingulos conſulatus in annos ſequentes deinde vſque ad Iulij Cæſaris imperium, ac demum imperio eius vnum annum elidi comperimus. Inde enim factum vt quadriennio poſthæc, ſcil. a. 3786 m. ac 529 R. c. iuxta nos, *P. Scipionis* & *Sempronij Longi* conſulatus cum initio *ſecundi belli Punici* differatur à deſinente anno primo Olymp. 140 ad ſecundum deſinentem, contra mentem Polybij 3 l. ac duodecimo anno poſteà conſulatus Liuij Salinatoris II & Claudij Neronis, ab anno quo celebrata ſunt Olympia (ſcilicet 143) ad ſequentē, contra diſerta verba Liuij hiſtorici, 27 & 28 ll. & cæteri ſimiliter.

A. 3784 m. extincto Ptolemæo Euer-

gete

gete postquam regnauerat 26 annos, *Ægypti* regnum adeptus est eius filius *Ptolemæus Philopator*.

A. 3785 m. mortuo Antigono Tutore anno 15 administrati regni *Macedoniæ*, successit *Philippus* Demetrij filius.

A. 3789 m. ac 1 Olymp. 141, atq; 115 imperij Macedonum, videtur *Iudea* defeciſſe à *Ptolemæo Philopatore Ægypti* rege ad *Antiochum Magnum* regem *Syriæ*: quo tempore refert Eusebius multa Iudæorum millia cæsa esse.

A. 3794 m. ac 2 Olymp. 142 *Ptolemæus Philopator* victo Antiocho magno ad *Raphiam* in Palæstinâ, ac receptâ *Iudeâ* quasi quinquennio postquàm primùm à se defecerat, *templum Dei Hierosolymis* inuasit, & Iudæos duriter accepit.

A. 3797 m. summus sacerdos *Iudeorum* extitit *Onias tertius*, Simonis iunioris filius.

A. 3801 m. mortuo Ptolemæo Philopatore rege *Ægypti* postquam regnauerat 17 annos, successit filius *Ptolemæus Epiphanes* puer quinquennis.

A. 3803 m. 546 R. C. *P. Cornelius Scipio* triumphauit *Romæ* de debellatis iterum *Poenis & Annibale* anno præcedente, (quo eclipsim Solis conspectam esse Cumis

mis Tib. Claudio & M. Seruilio consulibus significat Liuius, quam nos ad 6 d. Maij Iuliani referimus,) deuictaq; *Africâ*: vnde ipse cognominatus est *Africanus*, primus Romanorum imperatorum nomine victæ à se gentis nobilitatus.

A. 3808 m. *Antiochus Magnus* victo captoq; *Scopâ* militiæ principe regis *Ægypti, Syriam Palæstinam & Iudæam* receptam deinceps quietè obtinuit.

A. 3810 m. 553 R. c. *T. Quinctius Flaminius de Philippo rege Macedoniæ* quē ante triennium deuicerat ac toto imperio extra antiquæ Macedoniæ terminos exuerat, triumphum egit *Romæ* per triduum.

A. 3815 m. 558 R. c. tendentibus ad finem, desinente mense intercalario *L. Scipio* P. Africani frater triumphauit *Romæ de Antiocho magno*, ante annum debellato, demptaq; omni *Asiâ*, citra *Taurum* montem intra *Syriæ* fines compulso; inde etiam ipse appellatus Asiaticus. Verùm anno antecedente, eodem consule proficiscente ad bellum refert Liuius *Solem eclipsim passum* esse a. d. v. id. siue 11 die Quintilis, vt annus Romanus tunc agebatur. quam quum alij aliò referant, apparet contigisse sub vesperam 16 d. Mechir

chir 557 a. Nabonazari, ac 24 d. Martij Iuliani, licet ne sic quidem satis conueniente vulgari calculo latitudinis Lunæ, veruntamen non multùm refragante: amplius biennio ante aliam *eclipsim Solis* 28 d. Iulij Iuliani, *C. Liuio* & *M. Valerio* consulibus, inter tertiam & quartam diei horam (id est tribus horis ante meridiem, neutiquàm verò post, vt ab alijs statuitur anno seriùs 17 d. Iul.) in Italiâ, iuxta Liuium 381. Sub hoc verò tempus initium *anni Romani* retrolapsum erat ferè ad trimestre obnegle ctam intercalationem, ita vt initium Ianuarij in Octobrem Iulianum ac Martij in Decembrem atq; 10 mensem naturalem plerúmq; inciderit; quâ hoc mense quo triumphum egit *L. Scipio*, aut biennio anteà denuo repetitâ, illud propè eodem statu hæsit vsq; ad anni Iuliani editionem.

A. 3818 m. interfecto Antiocho Magno *Syriæ* regi in tumultu nescio quo postquam regnauerat 36 annos, successit filius *Seleucus Philopator* siue *Soter*, quo de Dan. 11 c. 20 vl.

A. 3824 m. mortuo Ptolemæo Epiphane rege *Ægypti* anno 24 regni sui, successit eius & *Cleopatræ* filiæ Antiochi Magni filius *Ptolemæus Philometor*, anno 568 epochæ

pochæ Nabonazari.

A. 3827 m. mortuo Philippo rege *Macedoniæ* postquàm regnauerat 42 annos, successit filius *Perseus*.

A. 3829 m. ac 137 epochæ Seleucidarum, *Antiochus Epiphanes* sublato proditione fratre Seleuco Philopatore anno 12 regni eius, ac dolosè circumuẽto ipsius filio Demetrio regnum *Syriæ* inuasit: de quo Daniel propheta deinceps 11. c. 2. 21 saltem ad 32 v. Eo autem regnante, *Iudæis*, ob summi *Sacerdotij* dignitatem ortâ seditione inter eorum principes, quum *Onias* (paulo post regni eius initium interfecti relicto filio impubere eiusdem nominis) fratres iuniores, *Iesus* qui & *Iason*, ac *Menelaus* etiã ipse dictus *Onias*, certatim ad illud largitionibus grassarentur, ingentium miseriarum semina pullularunt.

A. 3833 m. 141 Seleucidarum, *Menelaus* ab Antiocho maximâ largitione & adulatione summum *Iudæorũ* Sacerdotium obtinuit pulso Iasone: quod erat proximum initium miseriarum Iudæis sub Antiocho Epiphane. Erat autem annus ille 364 siue sabbaticus 52 à solutâ captiuitate; verùm Septuaginta hebdomadum erat completa 40.

A. 3836 m. ac desinente 143 Seleucidarum,

darum, epochæ autem Nabonazari atque Romæ c. iuxta nos 579, circumacto solstitio quod proximè consecuta est Lunæ eclipsis nocte præcedente 4 diem Septembris veteris ac Iulij Iuliani, eundem quo *Persem* postremus rex *Macedoniæ* anno 10 regni sui debellatus est a *L. Æmilio Paulo* consule Romano, (cuius consulatus ab alijs statuitur anno seriùs propter aliam eclipsim 21 die Iunij, verùm illam haud dubiè ante solstitium, disertis verbis contradicente Liuio,) *Antiochus* iussu legati Romani excedens ex *Ægypto* quam initio huius æstatis alterâ expeditione inuaserat (vti refert idem Liuius 45 l.) animo efferatus ascendit contra *Iudæos*, ac *Hierosolyma* occupauit armis, atq; direptâ vrbe multisq; ciuibus trucidatis ingressus *Sanctuarium Dei* summâ contumeliâ omnia eius instrumenta pretiosa & ornamenta totumq; thesaurum diripuit.

A. naturali proximè sequente, scilicet 3837 m. verùm 145 Seleuc. (quo Æmilius Paulus de Perseo capto Romæ triumphauit) mense nono Iudaico milites præsidiarij ab *Antiocho* missi, postquàm occupatis *Hierosolymis arcem* communiuerant, profanantes *templum*, *aram abominandam altari* eius imposuerunt per quam

cultus

cultus Dei iacebat desolatus.

A. 3840 m. 148 Seleucidarum, *Iudas* cognomento *Maccabæus* sacerdos è posteris Ioiaribi, post patrem Mattathiam mortuum, hortatus *Iudæos* ad corripiendâ arma pro defensione religionis, ac ducem corripientibus ea sè præbens, armatâ manu *Hierosolymorum* vrbem (præter arcem) ac templum recepit; nouumq; altare construxit, ac sacerdotum electionem de nouo instituit: atq; his nominibus festum *Encæniorum* celebrandum quotannis per octiduum a 25 die Casleui mensis Iudæorum noni, quo hæc gesta sunt, sanciuit. Erat autem annus septenus 41 ab initio 70 hebdomadum Danielis, iuxta nostras rationes.

A. 3841 m. quasi ineunte, 148 Seleucidarum iuxta ipsorum supputationem nondùm finito, verùm initio 149 iuxta Iudæos, vtpote sub medium mensis Xanthici respondentis primo Iudaïco, mortuo Antiocho Epiphani tetræ illi belluæ, postquàm regnauerat 11 annos, successit in *Syria* regnum eius filius *Antiochus Eupator*: qui tertio mense regni sui, vt apparet 2 Maccab. 11 c. corruptè appellato Dioscorinthio & Dioscuro pro Dæsio, diplomate suo permisit *Iudæis* vt patrijs legibus

ritibusq; vterentur, atq; impunitatem cō-cessit omnibus qui ante finem eiusdem mensis ab armis discessuri essent: quasi tribus annis ac dimidio post contaminatum altare ac profanatum cultum Dei.

A. 3842 m. ineunte, 149 Seleucidarum iuxta Syromacedones, 150 iuxta Iudæos, cum *Iudas Macchabæus* eiusq; sectatores ab armis non discederent, Antiochus Eupator susceptâ expeditione in *Iudæam* recepit Bethsuram castrum munitum, atque ipsa *Hierosolyma*: at nihilominus permisit Iudæis vt viuerent secundum leges patrias; etiam tradito neci Menelao turbarum auctore, post decennium vsurpati summi sacerdotij.

Verùm *Iudas* statim post Antiochi discessum (vtpote triennio ante mortem suam, vt intelligimus ex Iosepho historico,) inuasit summum sacerdotium, vt apparet, neglecto *Oniâ* Oniæ filio cui illud iure debebatur, repulsoque *Alcimo* æmulo. Quare *Onias* eodem tempore fugit in *Ægyptum* ad regem Ptolemæum Philometorem Epiphanis filium, à quo obtinuit locum & priuilegia construendi *templi* Hierosolymitano similis in ditione *Heliopolitanâ*; exactis iuxta chronologiam nostram 441 annis, quod est spatium integrorum

grorum Iubileorum 9, ab initio Babylonicæ captiuitatis, ac 53 Sabbatiſmis terræ ab eiuſdem fine.

A. 3843 m. 151 Seleuc. *Demetrius Soter* filius Seleuci Philopatoris obtinuit regnum *Syriæ*, occiſo Antiocho Eupatore poſtquàm regnauerat 2 annos.

A. 3844 m. 152 Seleuc. occiſo Iudâ Macchabæo in prælio contra Bacchidem Demetrij ducem quaſi triennio poſt Onię fugam, *Iudæorum* principatum occupauit *Ionathan* eius frater, atq; etiam ſummum ſacerdotium, extincto Alcimo, ad quem generis quidem iure ſaltem æquè propè ſpectaſſe videtur, ſecundo menſe ſequentis anni.

A. 3852 m. 160 Seleuc. ſubornato ſortis extremæ homini tanquam filio Antiochi Epiphanis nomine *Alexandro*, contra Demetrium Soterem Seleuci Philopatoris filium legitimum hæredem regni Syriæ, anno decimo regni ſui poſt interfectum Antiochum Eupatorem, etiam *Ionathan Iudæorum* dux ſe applicuit: (numquid propter dicti patris eius in ſuos beneficia?) à quo nimirùm confirmatus eſt in *ſummo ſacerdotio*. quapropter ſanctam veſtem induit menſe ſeptimo eiuſdem anni in feſto Tabernaculorum.

A. 3854 m. 162 Seleuc. occiſo in prælio Demetrio Sotere anno 12 regni ſui, regnum *Syriæ* ſolus obtinuit *Alexander*.

A. 3857 m. 165 Seleuc. *Demetrius Nicanor* Demetrij Soteris filius cœpit bello repetere paternum regnum *Syriæ* ab Alexandro.

A. 3858 m. 601 Nabonazari & Romæ c. (ſeptennio poſt refixa poſtremò comitia creandorum conſulum ab idibus Martijs ad calendas Ianuarias quaſi congruentes octauo aut nono menſi naturali antecedenti s anni,) quo ſub initium anni 32 tertiæ periodi Calippi videtur *Hipparchus Aſtronomus* ſtatuiſſe epocham periodi ſuę annorum 304; poſt confectum tertium & vltimum bellum *Macedonicum* capto *Andriſco* Pſeudophilippo à *Q. Metello* inde appellato Macedonico, *Scipio* Africanus Aemilianus de *Pœnis* etiam tertiò vltimoq; debellatis & exciſâ *Carthagine* triumphauit: atq; conſul *L. Mummius* debellatis *Achæis* itidem *Corinthum* diruit, exinde appellatus Achaïcus.

A. ſequente, 3859 m. 167 Seleuc. *Ptolemæo Philometori* ſtatim poſt deuictum atq; occiſum *Alexandrum* anno 8 regni vſurpati, mortuo Antiochiæ quam paulò anteà cum *Syriâ* occupauerat, anno regni

ſui

ſui 35, ſucceſſit in *Ægypto* quidem *Phyſcon* etiam *Euergetes* alter appellatus, vt apparet, qui *Cyrenis* antea regnabat; in *Syriâ* verò recens acquiſitâ *Demetrius Nicanor* Demetrij Soteris filius, cui ille filiam ſuam Cleopatram Alexandro ablatam vxorem tradiderat. contra quẽ mox arma mouere cœpit *Diodotus* ſiue *Tryphon* quaſi iure *Antiochi* filioli Alexandri.

A. 3862 m. 170 Seleuc. Ionathane Iudæorum duce Tryphonis inſidijs occiſo *Simon* eius frater ſummum ſacerdotium ac principatum *Iudæorum* conſecutus, à Demetrio etiam immunitatem regioni petiuit atq; obtinuit; adeo vt priore libro Macchab. ablatum à Iudæis *iugum Gentium* dicatur eodem anno: qui quidem erat Hebdomadis Danielis 45 primus ex priore parte, è poſteriore verò complemẽtum annorum 392 (quod eſt ſpatiũ octo integrorum Iubileorum) à ſolutâ captiuitate Babylonicâ, iuxta noſtram chronologiam.

Anno autem proximè ſequente, ſcilicet 3863 m. 171 Seleuc. ſuſceptâ à *Demetrio* expeditione contra *Parthos*, *Simon* recepit arcem Hieroſolymitanam, depulſo regum Syriæ præſidio, anno 28 poſt-

quàm ab Antiocho Epiphane communita erat.

A. 3864 m. 172 Seleuc. Demetrio Nicanore *Syriæ* rege, ineunte anno 6 regni ſui, capto ab *Arſace* rege Medorum & Perſarum ſiue *Parthorum*, *Tryphon* occîdit Antiochũ pupillum anno item 6 regni eius, regnumq; ipſe vſurpauit.

A. 3866 m. 174 Seleuc. *Antiochus Sidetes* alter Demetrij Soteris filius, & ipſe acceptâ in matrimonium Cleopatrâ Demetrij fratris ſui iam captiui vxore, patrium *Syriæ* regnum recuperauit, victo Tryphone, atq; etiam occiſo anno ſequente, vſurpati ab eo regni tertio.

A. 3869 m. 177 Seleuc. menſe Iudaico 11 anni itidem Sabbatici, *Simon Iudæorum* dux etiam cum duobus filijs à Ptolemæo, ethnico genero ſuo, dolo captus atq; occiſus eſt. cui deinde in vtroq; principatu quaſi hæreditario iure ſucceſſit ipſius filius *Ioannes* cognomento *Hyrcanus*. Cæterum anno proximè ſequente *Antiochus Sidetes Syriæ* rex Demetrij captiui frater denuo recepit *Iudæam* ac *Hieroſolyma*: atq; deinde Iudæos humaniſſimè tractauit, ita vt ab ijs cognomen Pij adeptus ſit.

A. 3877 m. *Sidete* paulò poſt dimiſſum

sum fratrem *Demetrium* cæso à *Parthis* postquàm regnauerat 11 annos, *Iohannes Hyrcanus* defectionis à regno *Syriæ* deinceps in perpetuum *Iudæis* auctor, vtrunq; principatum apud eos sibi & posteris suis vindicauit titulo *Hasmonæorum*, scilicet petito è Psalmo 68. nec multò postea destructo *Samaritanorum* siue Chuthæorum templo in monte *Garizim* ipse in *Sadduceorũ* hæresin lapsus est. Hic verò ego Theologorũ iudicijs perpendendum relinquo, an *Macchabæi* siue *Hasmonæi* iure defecerint ab imperio *Græcorum*, ipsiq; apud *Iudæos* tum Politicum tum Ecclesiasticum Principatum vsurpauerint, petitâ etiam ad sui confirmationem Romanorum amicitiâ nimirùm facilè de alieno largientium, vt Trogi abbreuiator hac de re loquitur? item an religionem ita integrè & syncerè curauerint, vt non ipsi meritò videantur fuisse typi Antichristorum, de quibus intelligenda sint verba Prophetiæ Danielis 11 c. 34 & 35 vv. in transitu ab Antiocho Epiphane illo insignissimo primarij Antichristi typo ad ipsum Antichristum primarium; vtpote ad quem solum spectent sequentia eiusdem capitis, iuxta sententiam Hieronymi antiqui & celeberrimi interpretis sacrarum literarum: deniq; an

non tribus fratribus Iudæ Ionathani ac Simoni occiſis intra 30 annos, conueniat illud Zacariæ Prophetæ 11 c. de tribus Paſtoribus exciſis vno menſe, annorum ſcilicet.

A. 3880 m. *Demetrius Nicanor* anno 4 poſt receptum regnum *Syriæ* eo rurſum expulſus eſt ab *Alexandro Zebennâ* ſubornato tanquam Sidetis adoptiuo filio. cum quo ignobili viro etiam *Hyrcanus* princeps *Iudæorum* fœdus fecit. Demetrius autem ex fugâ Tyrum petens vrbis præfecti iuſſu interfectus eſt. Sub quod tempus *Tyriorum* libertatem vt videtur adeptorum epocha inſtituta eſt.

A. 3881 m. Alexander Zebenna poſt 1 annum regno *Syriæ* expulſus atq; interfectus eſt ab *Antiocho Grypo* Demetrij Nicanoris & Cleopatræ filio.

A. 3888 m. initium habuerunt illæ propè exitiales regno *Seleucidarum* diſcordiæ inter duos *Antiochos Grypum & Cyzicenum* eiuſdem matris Cleopatræ ac duorum fratrum Antiochi Sidetis & Demetrij Nicanoris filios, anno 8 regni Grypi filij Demetrij poſt interfectum Zebennam. Quo tempore mortuo Ptolemæo Euergeti alteri ſiue Phyſconi regi *Ægypti* ſucceſſit cum matre *Cleopatrâ* maior

maior natu duorum filiorum *Ptolemæus Soter* siue *Lathyrus.*

A. 3891 m. 634 R. c. *Cimbri* & *Teutones* inuaserunt *Italiam.*

A. 3892 m. Antiochus *Cyzicenus* victũ *Grypum* maiore regni *Syriæ* parte exuit, postquam regnauerat 12 annos.

A. 3893 m. 636 R. c. bellum à *Romanis* susceptum est contra *Ingurtham Numidarum* regem.

A. 3901 m. mortuo Ioanni Hyrcano postquam principatu *Iudææ* potitus esset 31 annis successit filius *Aristobulus*: qui statim primus Iudæorum post captiuitatem Babylonicam, capiti suo imposuit *regium diadema*, quod fratris matrisq; parricidijs consecrauit.

Atq; hoc nouo rege post annum extincto, vxoris eius Salomes siue Alexandræ fauore ad regnum ascitus est *Iannæus Alexander* illius frater alter: qui & ipse quò scilicet tutiùs regnaret reliquum fratrem neci tradidit: ac insigni deinceps crudelitate regnum gessit.

A. 3905 m. *Cleopatra* regina *Ægypti* abdicato maiore filio Ptolemæo Sotere, regis titulum impertita minori *Ptolemæo Alexandro*, regni habenas sola obtinuit.

A.

A. 3909 m. Antiochus *Grypus Syriæ* rex occisus est, postquam regnauerat 29 annos.

A. 3910 m. *Seleucus* Grypi filius Antiochum Cyzicenũ regem *Syriæ* vicit atq; occidit, postquam regnauerat 18 annos.

A. 3911 m. videtur Seleucus Grypi filius ab *Antiocho Cyziceni* filio *Syriæ* regno pulsus, ac paulò pòst in Ciliciâ extinctus esse. Deinde autem hic Antiochus vicissim à cæteris Grypi filijs *Antiocho Dionysio, Philippo & Demetrio Eucæro* variè exagitatus est.

A. 3913 m. 656 R. c. L. Martio Philippo & Sexto Iulio Cæsare consulibus, (quorum consulatu acta est Olympias, nempe 172, vt intelligere licet è fragmento 37 l. Diodori Siculi, cum iuxta alios, consules illi ad annum sequentem differantur,) *Liuius Drusus* tribunus plebis Romæ in ciuili seditione interfectus est: vnde data est occasio belli grauis inter *Romanos* ac socios *Italiæ* populos, primùm Marsos, deinde cæteros; quod sequente anno exarsit.

A. 3915 m. interfectâ Cleopatrâ reginâ *Ægypti* à iuniore filio Alexandro, quẽ ipsa ante decennium regis titulo impertiuerat, ipsoq; deinde in exilium acto à populo

pulo, in regnum reductus est maior frater *Ptolemæus Soter.*

Circa idem vero tempus *Syri* pertæsi discordias regum suorum filiorum ac nepotum duorum fratrum & eiusdem matris, per quas etiam finitimis Arabibus Iudæisq; præda fierent: regnum illis *Seleuci* posteris ablatum tradiderunt *Tigrani* regi *Armeniæ*; annis 222 ab epochâ Seleucidarum.

A. 3916 m. 659 R. c. susceptum est à *Romanis* bellum contra *Mithridatem Ponti* regem, duce *L. Cornelio Syllâ* consule: anno præcedente initium belli ciuilis *Mariani.*

A. 3922 m. 665 R. c. *Sylla* à bello Mithridatico *Romam* reuersus, interfectis ambobus cõsulibus *Mario* iuniore (quum senior quadriennio anteà initio septimi consulatus sui mortuus esset) & *Carbone*, *Dictaturam* inuasit crudelissimeq; gessit per triennium.

A. 3923 m. mortuo Ptolemæo Soteri regi *Ægypti* annis 8 postquàm regnum receperat, successit *Ptolemæus Dionysius* siue *Auletes.*

A. 3929 m. mortuo Alexandro regi *Iudæorum* postquam regnauerat 27 annos, in regno successit eius vxor *Alexandra*, in summo

ſummo ſacerdotio filius maior natu *Hyrcanus* iunior.

A. 3934 m. 677 R. c. *L. Lucullus Romanus Tigrani* regi profligato ad Tigranocertam, regnum *Syriæ*, quo is per 18 annos tranquilliſſimo potitus erat, ademptum reddidit *Antiocho Cyziceni* iunioris filio.

A. 3937 m. 680 R. c. bellum *Piraticum* confectum eſt à *Cn. Pompeio* proconſule *Romano*.

A. 3938 m. mortuâ Alexandrâ reginâ *Iudæorum* poſtquàm regnauerat 9 annos, regnum vſurpauit repulſo fratre maiore *Hyrcano Ariſtobulus* iunior.

A. 3940 m. 683 R. c. *Cn. Pompeius*, debellato tandem *Mithridate*, *Tigranem* quoq; ſubiugauit & regni parte multauit: atq; regnum *Syriæ* ademptum Antiocho Cyziceni nepoti, poſtquàm tenuerat illud, vt apparet, annis ferè 6 à Luculli victoriâ ad Tigranocertam, prouinciam *Romanorum* fecit; 247 annis ab epochâ imperij Seleucidarum.

A. ſequente, ſcil. 3941 m. 684 R. c. *Pompeius* ad Hyrcani petitionem ſuſceptâ in *Iudæam* expeditione contra *Ariſtobulum*, obſedit *Hieroſolyma*, cepitq; anno 1 Olympiad. 179, menſe tertio Græcorũ, verùm Iudæorum ſeptimo, die ieiunij ſiue

menſis

menſis eius decimo: ac ſummum ſacerdotium *Hyrcano* permittens, regionem *Romanis* tributariam fecit; quam *Syriæ* prouinciæ annexam eodem tempore primus pręſes Romanus adminiſtrare cœpit *Scaurus*; annis tantùm 64 à morte Antiochi Sidetis cui poſtremo regum Syrogræcorum paruerat.

Eodem autem anno, *Romæ M. Tullio Ciceronę* & *C. Antonio* conſulibus accidit coniuratio *Catilinaria*. Atq; eodem anno poſt mediam æſtatem natus eſt *Cn. Octauius*, qui poſteà fuit Imperator Cæſar Auguſtus.

A. 3943 m. 686 R. c. III ac prid. cal. Octob. *Pompeius* triumphum Aſiaticum ingẽte pompâ egit, in quo ipſe *Ariſtobulus* rex *Iudæorum* ante triumphalem currum ductus fuit: qui deinde fugâ dilapſus Româ anno quarto à *Gabinio Syriæ* præſide iterùm victus captuſq; eſt.

A. 3945 m. 688 R. c. tendentibus ad finem, anno primo Olympiadis 180, *C. Iulius Cæſar* finito primo ſuo conſulatu (ſub cuius finem nimirùm acta erat illa Olympias quę iuxta alios præcedentibus conſulibus acta eſſet,) Piſone & Gabinio deinde conſulibus expeditionem contra *Gallos* inſtituit: vti refert Diodorus Siculus qui eodem

eodem tempore claruit, & eundem historiæ suæ terminum posuit. vnde constat falli digestores Fastorum consularium qui differunt consulatum Pisonis & Gabinij, quo bellum Gallicum motum, in annum 2 eiusdem Olympiadis; ac multo magis Scaligerũ, qui in Notis ad Eusebij Chronicon, eundem in tertium eiusdem Olympiadis annum incidisse scribit.

A. 3949 m. 692 R. c. *Iulius Cæsar* primùm inuasit *Britanniam*.

A. 3950 m. 693 R. c. *Crassus* susceptâ Syriâ prouinciâ, primus *Romanorum* suscepit expeditionem contra *Parthos*: à quibus paulò pòst victus atq; occisus est: quum in itinere per *Iudæam* facto templi *Hierosolymitani* thesaurum, cui Pompeius pepercerat, expilasset.

A. 3953 m. mortuo Ptolemæo Dionysio siue Auleti regi *Ægypti* 30 annis postquàm regnare incepserat, successit filius *Ptolemæus puer*. Contra quem *Cleopatra* soror vsurpans regnum mox bellum mouere cœpit.

A. 3956 m. transactis ab initio monarchiæ Alexandri & imperij Macedonum annis 281, ineunte anno 4 Olymp. 182, anno 699 *Romæ* c. iuxta Fabianas ac nostras

stras rationes, 455 post reges expulsos Româ, *C. Iulius Cæsar* secundo suo consulatu, quum ante sesquiannum bellum ciuile patriæ intulisset, demùm deuicto *Pompeio* cum factione optimatum ad *Pharsalum* in Macedoniâ, tempestate messis, mense Septembre vt annus Romanus tunc agebatur, & quidem 24 die mensis siue 8 calendas Octobris, sub quas Pompeius interfectus est, vt apparet, oppressâ republicâ *Romani imperij* summam ad se vnum transtulit. Atq; hanc ob causam Antiochini eodem tempore atq; eâdem tempestate, nempe mense Gorpiæo, instituisse videntur epocham quæ deinde toto Oriente fuit celeberrima, & à quâ vulgò putata sunt *Cæsariana tempora*; sicut ipse 24 dies Septembris, non imperatoris Cæsaris, sed *imperij Cæsarum* natalis dies: vtpote quos, è tertio Commentario ipsius Cæsaris de bello ciuili sub finem, licet intelligere magnâ gratulatione siue adulatione hanc eius victoriam accepisse, atq; Pompeio & Pompeianis omnibus renunciantes deinceps se in eius tutelam recepisse. Atque ob eandem causam videtur Cæsar in anni sui ordinatione tertio inde anno diem illum 24 Septembris ad æquinoctij cardinem accommodasse. Eandem vero epocham consecu-

ta

ta est epocha Indictionum Constantinianarum comprehendentium annos quinosdenos, iusto interuallo 360 siue vicies quater quinûmdenûm annorum, ad eundem diem.

Ab hoc autem tempore *Pharsalicæ* victoriæ *Iulius Cæsar* primus Imperator ac *Monarcha Romani imperij Dictaturâ* in perpetuum sumptâ imperauit quatuor annos & dimidium, id est vno integro plus quam vulgus hodie putat: quod & nostra applicatio præcedentium consulum ad annos Olympiadum necessariò euincit, & ipsum Eusebij Chronicon vtcunq; turbante & dissimulante inter alios Scaligero satis testatur, ac deniq; aliæ complures annorum circumstantiæ à nobis obseruatæ abundè confirmant: veluti quod Plutarchus in vitâ Cæsaris scribit eum superuixisse Pompeio plusquam quatuor annos: Appianus autem 2 l. de bel. ciuil. scribit Pompeij filios cum Cæsar illis bellum inferret (nempe sesquianno ferè ante cædem suam) quarto iam anno post Pharsalicam pugnam copias suas artibus militaribus exercuisse: ac Florus 4 l. 2 c. hoc idem bellum in Hispaniâ, annis 14 post primam Cæsaris expeditionem in Gallias gestum esse refert: deniq; M. Cicero, ne

plures

plures hîc memorem, in fine secundæ Philippicæ manifestè innuit annos propè 20 elapsos esse à nonis Decembris consulatus sui ad Octobrem consecutum cædem Cæsaris; & in octauâ Philippicâ habitâ deinde intra semestre, tunc sextum annum agi ab amissâ libertate Pharsalico prælio. quanquam certe antiquus est error ille de triennio, vtpote cuius vestigia etiam apud Dionem atq; Velleium appareant.

Verùm *Cæsar* post Pharsalicam victoriam Pompeium fugientem persecutus in *Ægyptum*, vbi eum interfectum reperit, sequente hyeme eiusdem anni ibi confecit bellum *Alexandrinum*, quo interijt *Ptolemæus iuuenis* anno regni sui 4 post mortem Ptolemæi Dionysij siue Auletis patris: regnumq; tradidit *Cleopatræ* eius sorori ac minori ipsius fratri, quem illa facilè oppressit.

Sequente autem vere, scilicet a. 3957 m. ac 700 R. c. *Cæsar* relictis in Alexandriâ præsidijs, ex Aegypto venit in Syriã: vbi commoratus ferè in omnibus ciuitatibus quæ maiore erant dignitate, præmia benè meritis & viritim & publicè tribuit, ac reges tyrannos dynastas prouinciæ finitimosq;, qui omnes ad eum concurrebant dimisit sibi amicissimos; ac denique

eidem prouinciæ à se ordinatæ *Sextum Cæsarem* amicum & necessariũ suum præsidem reliquit. Quamobrem hoc tempore atq; hâc tempestate, scilicet mense Artemisio cõueniente Maio Iuliano Syri *Laodiceni* annorum epocham instituerunt, octimestri post illam Antiochinorum.

Eodem verò tempore, nempe vernâ tẽpestate anni 3957 m. *Iulius Cæsar Iudæa* tutelam commisit *Antipatro* Hyrcani amico, proselyto Idumæis maioribus oriundo: qui statim filios suos, *Phasaelum* quidem natu maximum *Hierosolymorum* præfectum constituit; *Herodem* verò *Galilæa*, νέον παντάπασιν ὄντα, εἰ γὰρ αὐτῷ ἐγεγόνει μόνα ἔτη, vti scribit Iosephus 14 l. Antiq. 17 c. id est, oppidò peradolescentulum qui non multò anteà excesserat ex ephebis, vtpote 15 tantummodò annos natum. Verùm *Herodi* (vt porro scribit idem) nihil obfuit adolescẽtia, sed quũ adolescẽs esset generosâ indole, cõfestim inuênit occasionẽ edẽdi specimen virtutis suæ. Itaq; addita à Iosepho descriptio *ætatis Herodis* hîc & in sequentibus, prorsus tollit suspitionẽ corrupti numeri annorum 15 pro 25, quã, vt vsitatam epochã annorum Domini quatuor vel quinque annis anticipent, inijcere conantur. Laurentius Suslyga Polonus in

disputatione Theologicâ de anno ortus & mortis Domini Iesu, & Ioannes Keplerus Cæsareus Mathematicus in Syluâ Chronologicâ eiusdem argumẽti, adiunctâ libro suo de Stellâ Nouâ quæ apparuit anno 1604 vsitatæ epochæ; reuolutis, vt ipse autumat, 1610 annis à Stellæ Magorum apparitione, similiter in articulo reuolutæ Astrologicæ Triplicitatis igneæ, temporeque coniunctionis magnæ trium superiorum Planetarum, fere biennio antequam nasceretur Christus.

Deinde verò *Cæsar* celerrimâ victoriâ potitus contra *Pharnacem Ponti* regem, *Romam* venit exacto anno post victoriam Pharsalicam: & mox traijciẽs in *Africam*, intra semestre confecit bellum *Africanũ*. Sub finem autem secundi anni imperij siue continuatæ Dictaturæ suæ *Romam* redeuns, ingressus est vrbem quadruplice triumpho. Hinc verò integrum annum ibi commoratus, & censum egit, & plurimas leges tulit, atq; annum ordinauit.

Anno autem 3959 m. anno confusionis tendente ad finem *Cæsar* exacto imperij triennio, proficiscens ad bellum contra Pompeij filios in *Hispaniâ*, tunc primùm (vt colligimus ex Suetonio in eius vitâ, 76 c.) sufficit consules *Calenum* & *Vatinium*:

nium: quos plerique bello Africano præmittunt. Deniq; circa finem quarti anni imperij ſiue continuatæ Dictaturæ confectis omnibus bellis ciuilibus quintum triumphum egit ex Hiſpaniâ, quaſi ſemeſtri ante necem ſuam.

A. 3961 m. quaſi ineunte, interfecto *C. Iulio Cæſare* idibus ſiue XV die Martij ſecundi anni Iuliani, 490 annis ab initio imperij Cyri & ſolutâ Babylonicâ captiuitate, *Cn. Octauius* Iulij Cæſaris hæres ex ſemiſſe ſcriptus, & adoptatus in nomen eius vt appellaretur *C. Iulius C. filius Cæſar Octauianus*, cũ eſſet ex ſororis filiâ nepos, ex Epiro in *Italiam* redeuns, deinde circa menſem Sextilem poſteà dictum Auguſtum priuato conſilio priuatâq; impenſâ *exercitum* comparauit, vndeuiginti annos natus, vti ipſe de ſe ſcripſit: id eſt, anno ætatis viceſimo nondum completo. quanquam Velleius ſcribit eum nondum fuiſſe natum annos 19, ſed ſibi ipſe ſubcontrarius, vtpote qui paulò ſuperiùs ſcribat eundem natum annos 18 comitem auunculo profectum eſſe in Hiſpaniam. Eâdem verò æſtate proximè conſecutâ necem Cæſaris, in Græciâ celebrata ſunt *Olympia* nempe 184, vt conſtat è Ciceronis ad Atticum epiſt. 24, 5 l. & 7 atq; 8, 16 l.

collatis

collatis cum primâ Philippicâ: licet Scaliger (scilicet ne detegeretur ipsius fucus ijsdem locis factus pro commentitijs suis Olympijs Mysterijs in veteri anno Romano) in contextu Chronici Eusebiani à se editi, hanc Olympiadem tantùm triennio, in erratis verò ad finem Notarum, solido quinquennio post præcedentem statuat, vt quocunque modo ipsam ab hoc anno dimoueat.

A. sequente, scil. 3962 m. 705 R. c. iuxta Fabianas ac nostras rationes, at 711 iuxta Varronianas, nó tantùm 710 vt Velleius putauit, *Octauianus* postquàm circa eundem mensem Sextilem inuasisset *consulatum*, deinde sub finem Nouembris ipse & *M. Antonius* & *M. Lepidus*, factâ conspiratione, se *Triumuiros* constituendæ reipublicæ *Romanæ* cum summo imperio in quinquennium renunciarunt, magistratus in aliquot annos nec Senatu nec Populo consulto quibus ipsi volebant mandarunt, denique proscriptiones ac cædes inimicorum ciuium, in queis *M. Tullij Ciceronis*, iusserunt.

Anno autem sequente, 3963 m. occisis in Macedoniâ *Cassio* (qui tunc *Syriam* ac *Iudæam* prouinciam obtinuerat) & *Bruto* præcipuis percussoribus Iulij Cæsaris, cœ-

pit dominatus *Antonij* in *Asiâ*: qui mox *Iudæa Tetrarchas* constituit *Phasaelum* & *Herodem*, vtpote iampridem, propter patris eorum Antipatri (ante annũ extincti) hospitium præside Syriæ Gabinio, familiaritèr siue amicè erga eos affectus, id est, οἰκείως ἔχων πρὸς αὐτούς, vti scribit Iosephus 14 l. Antiq. 23 c. neutiquam illius hospitij tẽpore familiaris eis, quasi propterea Herodes tunc plusquam 6 annos natus esset; vti contendunt Laurentius Suslyga & Ioannes Kepplerus. Neque verò Antonius tunc quando hospitio exceptus est ab Antipatro erat Magister equitum, vt nimis imperitè asserit Suslyga, sed decennio demum pòst, quippe à Iulio Cæsare primùm dictus primâ ipsius Dictaturâ annuâ. Porro autem Iosephus Phasaelum pariter ac Herodem, quando Tetrarchæ ab Antonio constituti sunt, disertè appellat νεανίσκους, id est adolescentulos; ita vt nec maior quidem natu fratrum tunc vicesimum quintum ætatis annum exegisse videatur: etsi memini me alicubi legisse appellatum peradolescentulum qui vicesimum annum ageret. Nec eo minùs *Herodi* agẽti annum 22 tunc desponsata esse poterat secunda vxor *Mariamne* Hyrcani neptis, fermè biennio post ductam primam.

A.

A. 3964 m. *Parthi* obsessis captisq; *Hierosolymis Antigonum* Aristobuli filium regem *Iudææ* constituerunt; captiuum abducentes Hyrcanum, atq; Phasaelum quimox interijt. *Herodes* vero fugâ elapsus *Romam* se recepit.

A. 3965 m. ineunte, ac 4 Olymp. 184 ad finem tendente, *Herodes* à Senatu Romano *Antonij* operâ rex *Iudææ* designatus est; auxiliaque ei contra Antigonum promissa.

A. 3966 m. anno Iuliano octauo ineunte, *Claudio Pulchro & Norbano Flacco* consulibus, cœpta est vsurpari annorum æpocha celebris, præsertim in *Hispaniâ* ac vicinis prouincijs Africâ & Galliâ, quæ *Æra* appellata est: eâ vt videtur occasione, quod anno proximè præcedente Domitius Caluinus proconsul Hispaniam iugum *Romanorum*, seu potius *Cæsaris Octauiani*, in cuius potestatem hinc prorsus cessit, detrectantem denuò subiugauerat; quo etiã vt apparet ex Dione, 48 l. noua quædam & grauiora æra vectigalia siue tributa annua instituta fuere à Triumuiris; quæ ipsa & cæteræ prouinciæ ad Occidentem subditæ Cæsari & Lepido, quem Cæsar etiam antea despectui habitum deinde post biennũ omnino oppressit, hoc anno pendere

dere cœperint. quanquã æra quoq; apud veteres pro calculis supputationũ vsurpata sunt. Sanè epocha illa in Hispaniâ, corruptè barbareq; scripta & inflexa *Era Eræ*, vsq; intra hos ducentos ferme annos, magis quàm vulgaris epocha annorum Domini vsitata fuisse fertur.

A. 3968 m. Agrippâ & Caninio Romæ consulibus, anno 4 Olymp. 185, *Hierosolymorum urbs* denuò capta est à *Sosio Antonij* præfecto, eodem die eiusdem mensis quo capta erat à Pompeio ante solidos 27 annos, vti refert Iosephus, (qui tamen fuerint tantum 26 nisi Iulij Cæsaris imperio ascribatur amplius quadriennio, ita vt hinc quoq; confirmetur nostra illius chronologia,) præcedente anno Sabbatico: regnumq; *Iudææ* deinceps *Herodi* traditum, interfecto Antigono rege vltimo è stirpe Hasmonæorum siue Macchabæorum, postquam cruci alligatus flagrisq; cæsus erat; quo supplicio, inquit Dion, nullus vnquam rex à Romanis affectus fuerat.

A. 3969 m. *Octavianus Lepidum* collegam exercitu & *Triumviratu* exutum Circeijs in perpetuum relegauit.

A. 3974 m. *Cæsar Octavianus* annis 12 post initum primum consulatum suum,

Septembris

Septembris die 2 superatis prælio nauali ad *Actium* Epiri promontorium *Antonio* reliquo Triumuiro & *Cleopatrâ Ægypti* reginâ, etiam ipse demum solus *Imperio Romano* potitus est, post necem Iulij Cæsaris anno 14 quasi medio.

Cæterùm ab *Actiacâ* victoriâ siue incepto anno 2 Olymp. 187, *Herodi Iudæ* regi, qui hactenus ab Antonij partibus steterat, tunc demùm interfecto Hyrcano (è Parthiâ reuerso) octogenario ad quẽ manifestè spectabat ius regni Iudaici; ad *Octauianum* Rhodi agentem transeunti, ac deinde ipsum cum exercitu honorificè *Ptolemaide* per *Iudæam* deducenti in *Ægyptum*, vt intelligere licet è Iosepho de Bel. Iud. 1 l. 15 c. & Antiq. 15 l. 9 & 10 c. c. atq; Tacito, Histor. 5 l. regnum eiusdem *Cæsaris* dono & *Romanorum Senatusconsulto* ipsius ope impetrato deintegro restitutum fuit; atq; inde scilicet nouennio postquàm primùm designatus erat rex, numerus annorum regni eius repetitus, & continuatus vsq; ad annũ 37. quod quum non satis animaduerteret ipse Iosephus historicus, nec omnino nosset distinguere cœptam ab *Actiacâ* victoriâ monarchiam à susceptâ nono post eam anno

Tribunitiâ

Tribunitiâ ſupremâ & ſacroſanctâ poteſtate Auguſti: hac duplice, poſteriore tamen maiore, erroris occaſione anticipauit mortes Herodis & Archelai eius filij ferè nouenis annis, quot nimirum interuenerunt à primâ illius deſignatione ad regnum hucuſque, itemq; hinc ad primam Auguſti tribunitiam poteſtatem: & eo pacto fœdos errores tum ipſe in hiſtoriâ Iudaicâ illius ſeculi admiſit, tum Chriſtianis noſtris inde ab Euſebij ſeculo huc vſque; maximè verò nuper Suſlygæ & Kepplero, de temporibus natiuitatis & prædicationis & crucifixionis Domini Chriſti propinauit.

A. ſequente, 3975 in. *Cæſar Alexandriam* cepit, *Antonio* & *Cleopatrâ* (22 annis poſtquàm hæc primò regnum *Ægypti* vſurpauerat) rerum deſperatione ſibi necem conſciſcentibus, *Ægyptumq;* fecit prouinciam *Romani* imperij, mediâ Olympiade 187, anno autem Nabonazari à morte Alexandri 295; at ab epochâ Nabonazari 719 quaſi ineunte: quo tempore *Ægyptij* ſtatuentes epochã imperij *Auguſti*, omiſſis annis Nabonazari Auguſtanos Iulianis æquales in vulgarẽ vſum acceperũt.

A.

A. 3977 mi. desinente, circa medium primi mensis Romanorum Ianuarij, *Cæsari Octauiano*, suo VII & Agrippæ III consulatu, *Imperium Senatusconsulto* confirmatum, est additusq; eius nominibus titulus Maiestatis vt appellaretur *Augustus*; vti, præter Censorinum qui illum annum Iulianum propterea Romanis epochæ Augustorum siue annorum Augustanorum primum habitum esse scribit, & alios, prolixè narrat Dio 53 l. Circa idem verò tempus *Cæsar Augustus*, nempe post primam Actiadæ actam æstate præcedente, atq; primum suum censum peractum eodem anno se VI & Agrippâ II consulibus, regnum *Iudææ Herodi* à se restitutum & confirmatum, magnâ accessione trium regionum, videlicet Thrachonis Batanææ & Auranitidis auxit, vti refert Iosephus 1 l. de B. I. 15 c. adeò vt huc spectare videatur quod Epiphanius scribit, contra hæresim 51 quæ Dementium appellata est, de perfectâ coniunctione *Iudæorum* cum *Romanis Iudaâq;* perfectè traditâ & pleniſſimè sub tributum redactâ, vtpote quatuor annis postquam Herodes à Cæsare Augusto constitutus erat rex; nouem autem (neutiquam vel ab initio vel à fine

præfecturæ

præfecturæ Antipatri patris eius, sed) à debellato Antigono captisq; Hierosolymis; atq; tredecim totius regni (nec Augusti sed) Herodis postquam scilicet a Romanis primùm designatus erat rex Iudææ. Eodem autem tempore videtur Augustus dedisse Herodi duas vrbes, Samariam & Stratonis turrim: è quarum illâ Herodes *Sebasten*, hac verò *Cæsaream* duodecim annorum spatio exædificauit.

A. 3982 m. Cæsar Augustus suo XI & Calphurnij Pisonis consulatu, recusatâ Dictaturâ, *Tribunitiam* illam supremam & sacrosanctam *potestatem* accepit, V cal. Iulij. *Id summi fastigij* (inquit Tacitus 3 1. Annal.) *vocabulum Augustus, ne regis aut dictatoris nomen assumeret, ac tamen aliquâ appellatione cætera imperia præemineret, inuenit.*

A. 3986 m. Sentio Saturnino & Lucretio Vespillone cõss. *Augustus* primò accepit *morum præfecturam* cum potestate *Censoriâ*, nomen Censoris abnuens.

A. 3988 m. ac 731 R. c. iuxta Fabium, at 737 iuxta Varronem, Furnio & Silano consulibus, celebrati sunt *ludi Seculares* magnificentissimè à *Cæsare Augusto*, centum ac decem annis reuolutis à consulatu Lepidi & Orestis quo proximè præcedentes

tes relati sunt, vt ex Horatij Poetę Carmine Seculari & Censorini 17 c. collatis intelligere licet. cum verò iuxta vulgares fastos interuenerint tantùm 109 anni: etiàm hinc deniq; licet concludere nos iure 4 annos integros Iulij Cæsaris imperio assignauisse.

A. 3989 m. *M. Agrippa* ab Augusto socero præfectus *Syriæ* & *Orienti*, ineunte Olympiade 191, ab *Herode* post reductos *Româ* filios *Alexandrum* & *Aristobulum*, anno sequente, hospitio exceptus *Hierosolymis*, Hecatomben ibi immolauit.

A. 3991 m. *Herodes* rex *Iudææ* anno regni sui 18, post ingentem plusquam biennij apparatum operis inde ab anno 15 regni sui, (nimirum à Cæsare restituti, vtpote consummatis anteà sub Agrippæ aduĕtum in Iudæam vrbibus Sebastâ & Cæsareâ, quadriennio ante medium Olympiadis 192, quando Agon pentaetericus Cæsareæ institutus est, vt licet colligere è Ios. 1 l. de B. I. 15 & 16 cc. ac 15 l. Ant. 13 & 14 cc. sed & 16 l. 9 c. vnde constat non posse istîc intelligi annos regni eius vel à primâ designatione vel à captis Hierosolymis;) cœpit restaurare *templum Dei Hierosolymitanum*, illudq; amplius & augustius exædificare: quod licet ex parte

potissimâ

potiſſimâ poſt 8 annos abſolueretur, tamen omni ex parte non fuit abſolutum niſi demùm ſub initium belli Iudaïci, quo Hieroſolyma atq; ipſum templũ à Veſpaſiano ac Tito eius filio rurſùm euerſa ſunt, vti conſtat ex Ioſepho qui eodem tempore claruit.

A. 3991 m. deſinente, pridie nonas Martij, in locum Lepidi quondam Triumuiri nuper demortui, *Auguſtus* factus eſt *Pontifex Maximus*.

A. 3997 m. 38 Iuliano, Martio Cenſorino & Aſinio Gallo conſulibus, *Auguſtus* inſtituit correctionem anni *Iuliani*; quo tempore etiam *menſis Sextilis*, quo multa ei proſpera euenerant, in ipſius honorem appellatus eſt *Auguſtus*: ſicut æſtate proximè conſecutâ necem Iulij Cæſaris, Quintilis appellatus erat Iulius.

Sub a. 3999 m. Lælio Balbo & Antiſtio Vetere cõſſ. *Tiberius* Auguſti priuignus & poſt Agrippæ mortem gener, ab Auguſto paulò antè participatus Tribunitiâ poteſtate in quinquennium, ſeceſſit *Rhodum*, ibiq; tanquam in exilio egit ſeptennium.

Sub a. 4000 m. *Auguſtus* accepit *conſulatum* XII, *Cornelio* Sullâ collegâ; vt ampliſſimo præditus magiſtratu, *Caium Cæſarem* ex Agrippâ & *Iuliâ* filiâ nepotem,

atq;

atq; adoptiuum filium, excedentem ex Ephebis in forum deduceret.

A. Sub-a. 4003 m. *Augustus* accepto consulatu XIII & postremo, Plautio Syluano collegâ, vt alterum nepotem *Lucium Cæsarem* Caij fratrem itidem deduceret in forum: *Caium* (paulò post relegatam ob adulteria eodem anno filiam suam Iuliam amborum matrem) occasione motus *Parthici* & defectionis *Armeniæ* præfecit *Syriæ* & *Orienti*; dato ei rectore iuuentutis M. Lollio.

A. 4006 m. ac 50 imperij Cæsarum, *P. Vinitio* & *P. Alfinio Varo* consulibus, *Cæsar Augustus* acceptâ quintò (quam annis 20 id est quatuor lustris anteà primùm acceperat) morum præfecturâ pariter ac potestate *Censoriâ*, videtur cœpisse agere *censum* suum *secundum*, quem quidem in Italiâ ipse peregerit, in alijs autem prouincijs per alios quosdam ministros nempe singularum præfectos, nemine assumpto collegâ. Nam omnino tèr *censum ciuium Romanorum vniuersalem*, præter particulares Senatorij Patricij & Equestris ordinis, egit *Augustus*, teste Suetonio in eius vitâ, 27 c. necnon Ancyrano monumento rerum gestarum eius: primum statim post sublatum Antonium, cum collegâ M. Agrippâ:

grippâ: tertium pauxillò ante mortem, cum Tiberio collegâ: medium autem, solus sine collegâ, hunc qui tertio anno, Aelio Cato & Sentio Saturnino consulibus absolutus est, vt ex Dione, 55 l. quamuis mutilo colligimus. Quapropter planè necesse est hunc esse censum quo de loquitur Lucas Euangelista, 2 cap. Fortasse verò Dion sic intelligi debet, quasi scripsisset institutũ quidem fuisse censum hoc tempore per singulas imperij prouincias, & ad nominum professionem atq; æstimationem bonorum perductum esse: verùm censum siue tributum non statim exactum esse nisi per Italiam & paucas alias, propter gliscentes seditiones: quas ne commoueret, arte in hoc negotio progressus est Augustus; vti in sequentibus ipse narrat. Huic autem nõ est dissentaneum quod alij existimant, Augustum id tunc egisse vt imperij rationarium conficeret, vel potius corrigeret; (nam confectum quidem habuisse ante annos 24, ante ancipitem illum morbum suum consulatu ipsius XI & Pisonis, ex Dione constat;) modò id eius propositum, institutumq; *censum totius orbis Romani* siue vniuersorum subditorum Romani imperij neutiquam diuersum tẽpore ab vniuersali censu ciuium Romano-

rum

rum per omnes imperij prouincias dispersorum existiment, vt Kepplerus putat: quum certè non sit verisimile vel ipsum Augustum in illo monumento vel Suetonium minùs celebrium ac memorabilium censuum meminisse, omnium verò celeberrimum ac maximè memorabilem silentio præteriuisse. Verba autem quæ è Cassiodoro producit Kepplerus ad distinctionem faciendam inter censum ciuium Romanorum & totius orbis Romani, planè confirmant nostram sententiam: nempè hæc, Census Romanorum ciuium primus Seruius inuenit; mox Augustus per orbem ampliauit. Ecquid enim aliud velint hęc verba, quàm census, quos solorum ciuium Romanorum instituerat Seruius, eosdem Augustum fecisse communes ciuibus cum subditis totius imperij, ideoq; vtrorumq; census simul peregisse?

Etenimuerò ex eodem illo semeso monumento Ancyrano apparet secundum & medium Augusti censum vniuersalem institutum esse ALFINIO consule; quatenus reliquis factis tantùm quatuor postremis literis integris de nomine vnius duorum consulum, quintam à fine mutilam potius F concipiendam esse designando *Alfinio Varo* (quemadmodum nomen eius

ab Onuphrio & alijs antiquarijs ſcribitur, non Alpheno vt à quibuſdã,) quàm S, Aſinio Gallo conſuli decimi anni antecedẽtis, vti Suſlyga & Kepplerus volunt; ex Dione colligi poteſt: in quo ſicut nulla lacuna, ita nec vlla cenſus mentio deprehenditur per totum annum conſulum Aſinij Galli & Marcij Cenſorini, vel proximè ſequentem, Tiberij & Piſonis: quum in eodem mutilo & corrupto deinde per 9 annos à cœpto conſulatu Antiſtij & Balbi, ad cœptum Aelij Cati & Sentij Saturnini, ſub huius finem, vtpote quem deinceps exceperit conſulatus Cinnæ & Meſſalæ, cenſum ab Auguſto peractum & finitum eſſe liquidò appareat. Neq; minus veriſimile fuerit ſecundum Auguſti cẽſum protractum eſſe vſq; ad tertium conſulatum, quum primus cenſus, ipſius conſulatus duos continuos, nempe quintum & ſextum occupauerit; ac tertius quoq; paulò minus, cœptus enim Munatio & Silio conſulibus vt apparet item ex Dione, vix peractus eſt ante mortem ipſius Auguſti.

Porro autem videtur hic annus *Vinitij & Alſinij conſulum* incidiſſe in altam pacem & tranquillitatem orbis terrarum, bellicis *Iani Quirini* portis demum anno præcedente tertiùm ab Auguſto clauſis,

Caio

Caio Cæsare ipsius nepote & adoptiuo filio (anno tertio suæ profectionis in *Syriam*) & *Æmilio Paulo* consulibus, post renouatam pacem cum *Parthis* & pacatam *Armeniam*: quo demùm tempore videlicet denuò redintegratę pacis & amicitiæ cum Parthis, qui paucis annis anteà desciscentes (vt scribit Velleius) à societate Romanâ adiecerant Armeniæ manum, Iani templum hâc vice clausum fuisse sub natiuitatem Christi, cùm ipse Eusebius in Chronico haud obscure innuit, tum Paulus Orosius clarè testatur. Vnde apparet clausum ab Augusto Ianum non hâc tertiâ vice mansisse per 12 annos, vsq; ad Quintilij Vari cladem Germanicam anno sequẽte consulatum Poppeij Sabini & Sulpitij Camerini octauum ab illo Caij Cæsaris & Aemilij Pauli, vt Suslyga & Kepplerus eodem Orosio auctore arbitrantur, verùm præcedente secundâ, à nono Augusti vsq; ad eiusdem Vari consulatum: præsertim cùm Lepido & Arruntio cõsulibus, quintis post Caium & Aemilium, bella denuò in pleriſq; imperij prouincijs extitisse referat Dion.

Itaq; iure sanè merito licet desiderare iudicium in ijsdem Kepplero pariter ac Suslygâ, qui ad Ianum clausum & pacatũ

vniuersum imperium Romanum sub tempus natale Christi, tanquam duodecimo Augusti consulatu, quinquennio ante Alfinianum, triennio verò etiam ipsorũ testimonio antequam Caius Cæsar in Syriam missus sit, referunt id quod scribitur apud Plinium 3 l. 20 c. Erectum esse in *Alpibus tropæum* de deuictis gentibus *Alpinis* omnibus a mari supero ad inferum (id, nimirum ab illis non satis animaduersum, est ab Adriatico ad Ligusticum vsque) Augusto Pontif. max. Imper. XIII, Tribunitiæ potestatis XVIII: præsertim verò quum hic numerus Tribunitiæ potestatis, quo nituntur, etiam præter vulgarium codicum fidem adiectus, manifestè quoq; falsus sit; quandoquidem omnes illius cardinis populos à Druso & Tiberio Augusti priuignis perdomitos esse decimo illius Tribunitiæ potestatis anno nondùm exacto quo primùm factus est Pontifex Maximus, è Velleio, Dione, & Floro, alijsq; constet.

Præterea verò initio cõsulatus *Vinicij* & *Alfinij* definebat *vicesimus octauus* annus confirmati *Augusto* imperij collato in ipsum illo Maiestatis titulo: quo anno videlicet *à Cæsare appellato Augusto* (neutiquam vero à partâ victoriâ Actiacâ, vt ex

Scaligero

Scaligero repetit, & vel sic plusquam anni discrepantiâ ægerrimè ad suam opinionem torquet Kepplerus,) institutum esse censum illum in quem inciderit natale Christi, apertè significat vetustissimus scriptor Christianus de vetustiorum sententiâ Clemens Alexandrinus, primo Stromate. Verba eius sunt. Ἐγεννήθη δὲ ὁ κύριος ἡμῶν τῷ ὀγδόῳ καὶ εἰκοστῷ ἔτει ὅτε πρῶτον ἐκέλευσαν ἀπογραφὰς γενέσθαι, ἐπὶ Αὐγούστου. & paulo post. Εἰσὶ δὲ οἱ περιεργότερον τῇ γενέσει τοῦ σωτῆρος ἡμῶν οὐ μόνον τὸ ἔτος, ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν προστιθέντες· ἣν φασὶν ἔτους κὴ Αὐγούστου, ἐν πεμπτῇ πάχων καὶ εἰκάδι, &c. Ac velim ego vt sedulò perpendant Kepplerus paritèr ac Scaliger alijq́; omnes, nullam à Clemente fieri mentionem Actiacæ victoriæ, verùm 28 *anni Augusti* (nimirum completi) quando *primùm edictus fuit census* sub quo natus sit Christus. licet fortasse censum quem *veris annis imperij Augusto confirmati Senatusconsulto*, consignatum inuenerit, ipse ad annos Augustanos Aegyptiorũ, anticipato biennio (quod tamen neq́; Kepplero neq́; Scaligero satis fuerit) retulerit: atq́; ita ansam erroris Eusebio aliisq́; dederit.

Quinimo secundum veros annos epochæ Augustorum accipiendum esse apparet, quod etiam Epiphanius contra 51 hæ-

resim scribit natum esse Seruatorem *anno vicesimo nono* postquã *Iudæi* perfectè cum *Romanis* coniuncti sunt, *Iudæaq;* perfectè tradita & plenissimè *sub tributum* redacta; atq; adeo postquàm *Iudæi viginti nouem annis tributum Romanis* pendissent, initio facto post quartum annum Herodis regis constituti ab Augusto: quandoquidem tot anni solidi interueniant à primo Augusti censu peracto se VI & Agrippâ II consulibus, anno quarto regni Herodis restituti ab eodem, & iam multum aucti, proximoq; ante collatum ipsi titulum Augusti, ad secundum eiusdem censum institutum, neutiquam Augusti XIII & Silani id est Siluani consulatu vt longè vitiosissimus apud Epiphanium catalogus consulum præfert, neq; proximè præcedente vt Cardinalis Baronij & Scaligeri rationes postulant, nedũ tertio antecedẽte vt Suslyga & Kepplerus modò sciscũt; verũ tertio sequẽte *Vinicij et Alsinij* vt nostra fert sẽtẽtia.

A. 4007 m. circa initium illius anni, vt etiam 750 Romæ c. *L. Aelio Lamiâ & M. Seruilio Gemino* consulibus, imperij autem *Augusti* (nimirùm putandi à consulatu *Pulchri & Flacci*, veluti innuunt etiam Græci Fasti, ex Aerâ apud Hispanos præsertim

præsertim & Gallos & Afros celeberrimâ) anno 41 iuxta antiquissimos patres Christianos Irenæũ Lugdunẽsem, 3l. 25 c. & Tertullianum Carthaginiensem, libro aduersus Iudæos, &c. atq; alios; verùm *Herodis* regis Iudææ constituti ab Augusto quemadmodum affirmat Epiphanius contra dictam hæresim Dementium, & ab *Actiacâ* Augusti victoriâ anno 33, anno autem confirmati Augusto imperij Senatusconsulto & *epocha Augustorum* 30, neutiquam 30 Actiaco ad quem vulgaris epocha annorum Domini auctore Dionysio Abbate Romano accommodata est, neq; anno Iuliano 41 iuxta nuperum scitamentum Suslygæ & Keppleri, verum 48 sequente 49 ac primo emendato ab Augusto; medio ferè tempore secundi & medij *census* acti iussu Augusti, primi verò operâ *Quirinij* in *Syriâ*, iuxta nostram chronologiam, natus est *Bethleheme* vrbeculâ *Iudææ* è *Mariâ* virgine Iudaicâ de stirpe inclyti illius *Dauidis* regis secundum humanam naturam, *Iesus Christus*, qui est super omnia Deus ac Dominus noster laudandus in secula sempiterna.

Fuisse autem *P. Sulpitium Quirinium* siue *Cyrenium* tunc temporis legatum Augusti in *Syriâ*, quamuis non agnoscat Iose-

phus hiſtoricus, tamen ſatis clarè innuit Tacitus, quatenus 3 l. Annalium ſcribit P. Quirinium ab Auguſto datum eſſe rectorem *Caio Cæſari Armeniam* obtinenti. Mortuo enim M. Lollio Caij moderatore paulò ante reditum Tiberij ex inſulâ Rhodo factum Vinitio & Alfinio conſulibus, vt ex Velleio collato cũ Dione 55 l. & Suetonij Tiberio liquet, Caius poſtquã cum Parthis fœdera renouârat, Armeniam deinde ingreſſus, inquit Velleius, primâ parte introitus proſperè geſſit; mox in colloquio cui ſe temerè crediderat vulneratus, ex eo vt corpus minùs habile ita animum minùs vtilem reip. habere cœpit. mortuus autem eſt *Caius* (vel in *Lyciâ* dum rediturus erat in Italiam, vel potiùs *Emeſa* in *Syriâ Phœnice*) quaſi alterum & viceſimum ætatis annum agens, hoc ipſo anno, aut ineunte ſequente conſulibus Aelio Cato & Sentio Saturnino; nimirùm plus minus ſemeſtri antequàm Auguſtus adoptaret Tiberium, vt ex ijſdem auctoribus manifeſtum eſt. Quapropter procul omni dubio Cæſar Auguſtus, per P. Quirinium ſiue *Cyrenium* legatum ſuum malè ſani iuuenis rectorem in Oriente, his temporibus cœpit agere cenſum illum, quem Lucas Euangeliſta refert primum

mum à Quirinio actum, respectu secundi acti ab eodem quando regnum Archelao ademptum est.

Atque istîc certè Iosephus historicus magnæ ignorantiæ vel saltem dissimulantiæ pariter ac erroris tenetur manifestus, quippe qui nullam, nedum Quirinij ante relegatum regem Archelaum Herodis filium, sed nec Lollij, nec ipsius quidem *Caij* præfecturæ *Syriæ* (quâ vix quicquam fuit memorabilius per totum Augusti imperium post Actiacam victoriam) vspiam omnino mentionem faciat: sed cum postremam Herodis profectionem in Italiam ad Augustum occasione litis inter ipsum & filios Alexandrum & Aristobulum ex Mariamne atque Antipatrum è primâ vxore susceptos referat Antiq. 16l. 12 c. institutam Tito quodam Syriæ præside (quem è Fastis Capitolinis & Strabone Geograph. 16l. colligitur fuisse *M. Titium Rufum*); proximum præsidem Sentium Saturninum ac procuratorem Volumnium refert sub quibus Alexander & Aristobulus interfecti sunt, eorumq; successores Quintilium Varum ac Sabinum paulo ante Atipatri necem & subsecutam Herodis mortem; atq; scilicet tunc demùm in lite inter Archelaum cæteroſq; Herodis

mortui

mortui filios Romæ coram Augusto, Caio eiusdem adoptiuo filio Agrippâ & Iuliâ genito primum in concilio locum concessum fuisse scribit.

Hinc verò Suslyga & Kepplerus petunt duo argumenta admodum efficacia, vt ipsis videntur, ad probandum Herodem mortuum esse ante Caij profectionem in Syriam: prius, quòd nulla istîc Herodis in eum officia commemorẽtur à Iosepho; posterius, quòd disertè ab eodem affirmetur, Herode mortuo, Caium (quem certò constat post profectionem nunquàm rediisse Romam) interfuisse concilio in contentione filiorum eius Romæ coram Augusto.

Ad prius quod attinet, ne dicam *Herodem*, cognitâ æmulatione inter *Caium* & *Tiberium* perspectâq; vtriusq; indole, satius duxisse minùs officiosum videri erga Caium quàm offendere Tiberium: nimirùm fastus *Cay* dedignantis supplicare *Hierosolymis* quum præteueheretur, sicut moris erat aliis præsidibus, videtur aspernatus esse *Herodis* officia. atq; ex eo quod *Augustus Caium* propterea laudauerit, vti refert Suetonius in Augusti vitâ: apparet sanè *Herodem* quoq; tunc deueniisse non modò in aliquem contemptum propter odiosas

diosas contentiones inter ipsum & filios, sed etiam in nonnullam suspicionem sentiendi cum *Parthis*. quod quidem ex ipso Iosepho, Ant. 161. 11 c. licet colligere, vbi refert quæstione habitâ de filiorum amicis & famulis, vnum confessum esse Alexandrum literas misisse Romam, vt eò accerseretur indicaturus Cæsari de quadam contra eum conspiratione patris sui *Herodis*, qui iniisset societatem cum rege *Partherum* cõtra *Romanos*. Hoc verò cum sit euidens argumentum istas *Herodis* turbas domesticas incidisse in dissidia *Partherum* cum *Romanis*, nata illo biennio interiecto inter *Augusti* XII *consulatum* & XIII quo *Caius* occasione motus *Parthici* in *Syriam* missus est: consequens est subsecutam easdem turbas posteriorem *Herodis* reconciliationem cum filiis *Alexandro* & *Aristobulo*, factam interceßione *Archelai Cappadocum* regis, soceri Alexandri, & susceptum postremum *Herodis* iter *Romam* eâ de causâ, contigisse sub finem præfecturæ Titi siue *Titij* præsidis *Syriæ*, quem vicissim Herodes eodem tempore reconciliauit Archelao; ita vt illum paulò pòst prouinciâ discedentem excepterit *Caius*, rectore primùm *Lollio*, deinde *Quirinio*, Caium verò demùm morti vicinum

num *Saturninus*, ac Saturninum denique *Varus*, quo præside mortuus est Herodes.

Atq; hinc nimirùm etiam illud est consequens, quod scribit Iosephus de *Caio* admisso in concilium in contentione inter *Herodis* filios coram *Augusto*, vnde posterius & neruosius argumentum mortis Herodis præuersæ Syriacam Caii præfecturam petunt Suslyga & Kepplerus; spectare ad priorem contentionem inter *Herodem* & antedictos ipsius ex *Mariamne* reginâ filios; quâ Herodes Augusti intercessione ita iis reconciliatus est, vt nihilominùs regni sui partem & quidem principem ab iis ad *Antipatrum* seniorem fratrem ex aliâ matre auertendi licentiam ab Augusto obtinuerit: ideoq; illud concilium habitum esse demùm *duodecimo Augusti consulatu* quo *Caius* excedens ex Ephebis ætatis anno 15 positâ prætextâ primùm deductus est in forum, decernente etiam Senatu vt ex eo tempore interesset consiliis publicis. Idq; ipsum confirmatur ex eo quod Iosephus, Ant. 161. 10 c. inter *Herodis* priorem & posteriorem reconciliationem cum iisdem filiis, siue penultimum atq; vltimum iter *Romam*, refert interuenisse præfecturam *Asiaticam Marcij Censorini*,

mum

Censorini; quem Velleius scribit mortuum esse in ijsdem prouinciis paulò post Lollium. cum enim Lollius mortuus sit sub consulatum Vinicij & Alfinij, ac vix vllæ præfecturæ excesserint trienniũ, neq; Caij quidem ipsius quamuis cupientis, quadriennium: apparet *Censorinum* suscepisse præfecturam *Asiæ* summùm anno præcedente XIII *consulatum Augusti*, qui erat quintus post ipsius consulatum: ac proinde post id tempus postremò *Romam* profectum esse *Herodem*, quem Suslyga eodem anno, Kepplerus verò etiam præcedente, & quidem ineuntibus, mortuum esse autumant. *Cæsareæ* verò institutum esse primum *Agona* pentaetericum, sicut ineunte anno 28 regni *Herodis* à captis Hierosolymis, medio Olympiadis 192, vicennio post debellatum Antonium & Cleopatram, quadriennio autem post cõsummatam vrbem pariter ac portũ; ita post non priorem reconciliationem vt Ant. 16 l. 9 c. innuitur sed primam reductionem *Alexandri* & *Aristobuli Româ*, vtpote factam ante *Agrippæ* præfecturam *Syriæ Olympiade* 191, è 1 & 2 c. c. eiusdem libri colligimus: ac propterea etiam eiusdem 191 *Olympiadis* initio *Herodem* redeuntem *Româ* salutato Augusto & reductis illis

illis, in itinere *Agonothetam Olympijs* constitutum esse, quod Suslyga & Keplerus postremo itinere & 193 Olympiade demùm factum putant.

Cæterum neq; *Lacedæmonius* ille hospes *Eurycles*, cuius technis Alexander & Aristobulus tandem pessumdati sunt, adueniens in *Iudæam* post Herodis reditum postremum Româ, videtur ita breui tempore potuisse se insinuare in intimam familiaritatẽ cum totâ *Herodis* discorde familiâ, vt intima animi cuiusq; secreta expiscaretur & tantam inde tragœdiam excitaret; neq; occasiones moti ab Herode postremi belli *Trachonitici* & *Arabici*, eiusq; administratio, & propter id apud *Cæsarem* accusatio, huiusq; offensio, damnaq; interim Herodis regno illata quorũ nullus appareret finis, tandemq; secundâ legatione renouata Cæsaris amicitia, ante condemnatos *Alexandrum* & *Aristobulum Saturnino* præside; ac deinde condita contra Trachonitas castellum, & vicus *Bathyra*, eiq; accersiti coloni *Iudaici* è *Babyloniâ* vsque; tum autem alia multa *Antipatri* machinamenta contra patrem in Iudæâ cum *Pherorâ* Herodis fratre & eius vxore & aliis, atq; *Romæ*, ante ipsius condemnationẽ *Varo* præside, rursumq; pòst,

nuncia

nuncia ab Herode ad Augustum & ab Augusto ad Herodem; tantâ celeritate transacta fuisse, quantam Suslygæ & præsertim Keppleri (qui in vnum annum ante mortem Herodis conferre cogitur quæ saltem triennium occupasse videantur) rationes flagitant.

Quod autem ijdem existimant *Quirinium* in *Syriam* missum cœpisse ibi censum agere, Suslyga quidem, anno summùm quinto à consulatu suo, (nempe consulatu Censorini & Asinij à quo consulatus Vinicii & Alfinii erat decimus) quia ex Suetonio & Dione colligitur interdictum fuisse ne consules vel prætores ante quintum annum à gesto in vrbe magistratu prouincias sortirẽtur; Kepplerus verò anno proximo aut altero à cõsulatu suo, quia auctor est Tacitus *Quirinium* mox à consulatu castella *Homadensium* expugnasse in *Ciliciâ*: quam prouinciam vtriq; cum Baronio consentiunt attributam fuisse Syriæ ex quo Antonius Triumuir nauigans in Italiam, vtramq; Sosio commisit: certè Dion 53 l. post Triumuiratum, in partitione prouinciarum inter Augustum & populum Romanum, recenset *Cœlesyriam, Phœnicem, Ciliciam, Cyprum*, &c. tanquam distinctas prouincias, vnde apparet, tametsi

metsi plerumq; sub vno præside, qui dictus si præses *Syriæ*, eæ omnes haberentur, sicut aliàs ipsæ pariter cum reliquis prouincijs Asiaticis & Aegypto sub vno præfecto *Orientis*; id tamen neq; necessariò neq; semper fuisse, quin varijs occasionibus earum vna vel plures haberẽt proprios præsides, velut posteà Iudæa & Samaria Cumanum & Felicem, præter Quadratum Syriæ præsidem eodem tempore. Itaq; non satis constat Quirinium tunc præsidem Syriæ fuisse, quando tantummodò scribitur bellum gessisse in Ciliciâ.

Præterea verò, ad tempus quod attinet, *quintus* ille *annus* (interiecto solido quadriennio Romano non tantùm triennio vt putat Suslyga) erat *citimus terminus* quo consularis aut prætorius quisquam lege prouinciam sortiri posset; quum plerunq; compluribus annis posteà demùm capessendi eam sors illi exiret. Kepplerus verò istîc maiorem in modum errat non animaduerso idiotismo Taciti, qui particulam *Mox* adhibere solet ad significandũ aliquid proximum quocunq; interuallo. Exempli gratiâ, 1 l. Annalium scribit *Iuliam* ob impudicitiam à patre Augusto Pandateriâ insulâ, *mox* oppido Rheginorum clausam fuisse: cũ Suetonius in Octauiano

uiano 65 c. interuallum quo ex insulâ in continentem translata est *quinquennio* definiat. Initio 5 l. & consulatus Rubellij & Fufij, scribit Iuliam Augustam, nempe *Liuiam*, mortuam pro Rostris esse laudatam à *C. Cæsare* pronepote, qui *mox* rerum potitus est. atqui ab illo tempore ad excessum Tiberii & initium imperii Caii fuerunt solidi *anni octo*. Rursum ferè initio 11 l. ipsoq; initio principatus Tiberii, in Gallicę seditionis narratione inquit, *Cassius Chæreas, mox* cæde *C. Cæsaris* memoriam apud posteros adeptus, tum adolescens & animi ferox, inter obstantes & armatos viam patefecit. At ab initio Tiberij ad eędem Caij perpetratam à Cassio Chæreâ iam seniore vti refert Suetonius, interuenerũt plusquam *viginti sex anni*. Quid multa? in exitu 6 l. & principatus *Tiberij*, Eius, inquit, mater in *Liuiam*, & *mox Iuliam* familiam adoptionibus transijt. At à pugnâ Philippensi, quando occisis Bruto & Cassio Liuius Drusus Claudianus (Tiberij auus maternus & Liuiæ pater) vti refert Dion 48 l. sibi necem conscíuit, qui (nescio quot annis antea) adoptatus erat in familiam Liuiam vti constat ex Suetonio in Tiberio, 3 c. vsq; ad mortem Augusti quãdo ipsa Liuia eius testamento in familiam

Iuliam & nomen Augustę assumpta est vti refert Tacitus etiam initio 1 l. intercesserunt *quinquaginta quinque anni*. Quid? an non etiam ex alio auctore ipse Kepplerus inq; hoc ipso negotio protulit huiusmodi verba, quorum etiam nos paulò superiùs meminimus; nempe, *Census* Romanorum ciuium primum *Seruium* inuenisse, *mox Augustum* per orbem ampliasse? Atà primo censu Seruij regis ad primum censum Octauiani imperatoris intercesserunt minimùm *quingenti triginta duo anni*. Quocirca quod idem Tacitus 3 l. de *Quirinio* ita scribit, *Impiger militiæ & acribus ministerijs consulatum sub diuo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus*, (id est triumphalia ornamenta, neutiquàm triumphum ipsum quasi Romæ deinceps actum,) *datusq; rector C. Cæsari Armeniam obtinenti, Tiberium quoq; Rhodi agentem coluerat: quod tunc* (Tiberius) *patefecit in Senatu, laudatis in se officijs; & incusato M. Lollio, quem auctorem C. Cæsari prauitatis & discordiarum arguebat*: id nequaquam obstat quin *Quirinius* post consulatum *Romæ* manens ad decimum vsq; annum, quo, *Augusto* XIII *& Siluano consulibus* euenerunt illæ turbæ domesticę

& diuortium inter ipsum & vxorem *Lepidam* viginti annis ante huius condemnationem Messalâ & Cottâ consulibus, vt colligitur ex Suetonij Tiberio 49 c. & Tacito in præcedentibus eiusdem libri; deinde legatus ab Augusto profectus sit in *Ciliciam* participem turbarum vicinæ *Armeniæ*, eodem tempore quo *Caius* profectus est in *Syriam*; bienniocq; posteà occasione rei benè gestæ ibi, pariter ac vicinitatis; *Lollij* mortui loco rector *C. Cæsari* ab eodem constitutus sit. Etenim quod addit Tacitus eum coluisse *Tiberium Rhodi* agentem, apparet nimirùm hoc fecisse in vicinâ etiam illi prouinciâ *Ciliciâ*, interim dum *Lollius* in *Syriâ* discordiarum inter Caium & Tiberium auctor haberetur: quandoquidem vestigiò post mortem Lollij *Tiberius Romam* reuersus sit; vtpote ante ipsius mortem concessâ ei veniâ à *Caio*, cuius Lollio tunc offensi arbitrio id permiserat *Augustus*, vt ex Suetonij Tiberio, 13 c. manifestum est.

Iam verò quum Suslyga & Keppleius exhibeant *censum* illum sub quo natus sit Dominus Christus pendentem aut interruptum, ille quidem per quadriennium à consulatu Censorini & Asinij, hic verò integrum sexennium ab altero anno post

consulatum Quirinij, ad Augusti XII & Syllæ, tanquam vsq; ad *Saturninum Syriæ* præsidem, sub quo eundem censum peractum esse clarè affirmat Tertullianus aduersus Marcionem 4 l. 19 c. ijs verbis: *Sed & census constat actos tunc in Iudæâ per Sentium Saturninum, apud quos genus eius* (scilicet Christi) *inquirere potuissent*: equidem appello Keppleri conscientiam (quãdoquidem laudandam sanè ingenuitatem in hac disquisitione præ se ferat), an non multo commodius nostræ rationes hunc ipsum *census* redactum intra *triennium* partiantur quasi medium per sesquiannos inter *Quirinium* & *Sentium*; ita vt *Quirinius* vnà cum suâ præfecturâ *Syriæ* eum in *Iudeâ* cœperit agere initio consulatus *Asinij & Viuicij*: *Sentius* autem ei & *Cæcilio* succedens mediâ æstate (quæ erat tempestas anni maximè obseruata mutandis præsidibus prouinciarum remotiorum) consecutâ natiuitatem *Domini Christi*, *Seruilio & Lamiâ* consulibus, ipsum peregerit sequente consulatu *Ælij Cati & Sentij Saturnini*, vt videtur, filij sui: idemq; *Syriæ* præfecturam omnino tenuerit ferè triennium vsq; ad Lepidi & Arruntij consulatum, quo ipse & Volumnius ad bellum Germanicum cum Tiberio profecti sunt,

 successore

successore illi in Syriam misso *Quintilio Varo.*

Porro autem ad huius sententiæ nostræ confirmationem accedit, quòd, quum indubitatò constet ex Velleio & Suetonio ipsoq; adeò Dione quamuis mutilo, Augustum adoptasse *Tiberium* & *Agrippam Posthumum* in filios a. 4008 m. vtpote medio fere consulatu *Ælij Cati & Semij Saturnini* iunioris, nempe die V cal. Iulias, quo ante annos 26 ipse primùm *Tribunitiam* potestatem acceperat; etiam Eusebius in Chronico statuat Christum natum anno proximè prȩcedẽte illam adoptionem; vbi incassum Scaliger ex peruersâ interpretatione mutili Dionis metachronismum sexennij in adoptione causatur, quum prochronismus quadriennij in natiuitate potius arguatur.

Quid? quod etiam illa anni natalitij *Ioannis Baptistæ* descriptio à Suslygâ ad confirmandas suas rationes petita ex Homiliâ Chrysostomi de illius natiuitate, & à Kepplero quòq; comprobata, nostrum calculum confirmat magis quam illorum? Nam primum quod ait Suslyga Chrysostomum statuere conceptionem Baptistæ anno proximè antecedente primum imperij *Tiberij Cæsaris* annum; id est ipso inter-

prete, primum annum *Tribunitiæ potestatis* eiusdem, quasi susceptæ anno Iuliano 41. Augusto XII & Sylla consulibus: ad fidem huic interpretationi suæ faciendam frustrà abutitur fastis Capitolinis & veterum memoriis nescio quibus; quum ex Velleio ac Suetonio liquidò constet potestatem Tribunitiam primùm Tiberio concessam esse in quinquennium, ante discessum ipsius Rhodum, solido septennio ante consulatum Vinicij & Alfinii, ideoq; integro anno ante XII consulatum Augusti, nempe circa initium consulatus Antistii & Balbi. quantum autem Tiberius abfuit ab imperio tunc Caio & Lucio Cæsaribus maximè florentibus: tanto manifestius est verba Chrysostomi spectare potius ad illud à nobis assignatum tempus, quo mortuis demùm ijsdem *Tiberius ab Augusto simul* (vt Taciti 1 l. verbis vtar) *filius, collega imperij, & consors Tribunitiæ potestatis* (nimirùm perpetuus) *assumptus est*: ita vt iuxta Chrysostomum quoq; natalia Baptistæ atq; Christi haud ampliùs semestri distantia intra biennij spatium tempus illud anteuerterint.

Neq; minùs ægrè proposito suo accommodat Suslyga, quod eodẽ auctore refert conceptionẽ Baptistæ nouẽ annis præcessisse

fisse collectionē filie correctionē *anni Iuliani*. neq; enim quadragesimus annus Iulianus fuit tertius illorū duodecim quos Augustus iussit decurrere sine intercalatione, vt ipse vult, verùm quadragesimus primus fuit eorū primus, quum primus ab hoc intercalarius fuerit quinquagesimus tertius: contráq; anni *Iuliani correctio ab Augusto* instituta Censorino & Asinio consulibus, nouennio antecessit *Alfinij & Vinicij* consulatum, quo concepti fuerint Baptista pariter ac Christus iuxta nostram sententiam; ita vt hoc planè voluisse videatur Chrysostomus illis verbis, siquidem omnino de correctione anni Iuliani locutus sit. *Dies* verò *lunares* Annunciationis natiuitatis, & conceptionis, atq; ipsius natiuitatis Ioannis Baptistæ cum Iulianis collatos ab eodē Chrysostomo, quos ad 40 & 41 annos Iulianos refert Suslyga; eos Scaliger 6 l. de emendatione temporum, c. de anno natali Domini, meliori ratione refert ad *annos* 45 & 46, scilicet proximè præcedentes eundem consulatum Vinicij & Alfinij, quo nos supra declarauimus cœptum agi *censum* in quem & *natiuitas Christi & adoptio Tiberij* incidit: ita vt istic nimirum ea erroris occasio obtigerit Chrysostomo, quæ illi cum alijs commu-

nis fuit, quòd censum illum vno anno peracturn existimauerit, qui ferè triennium durauit; ideoq; nostram sententiã de *initio eiusdem census* etiam ipse suo calculo comprobet.

Quocirca consideratis omnibus omnium rationibus allegatis & allegãdis, quod Iosephus Scaliger simpliciter & omnino, atq; Cæsar Baronius magnificus auctor Annalium Pontificiorum saltem quoad consules & annos Romæ conditæ à se luxatos, Christum natum statuunt biennio aut amplius ante vulgatem epocham Annorum Domini Dionysianam: ego sanè altero tanto post ipsam natum illum esse arbitror: atq; amplius sexennio posterius quàm Ioanne Deckerio Iesuitâ auctore nuper statuit Laurentius Suslyga; deniq; paulò plus minusué integro septennio, quàm nuperrimè Ioannes Kepplerus, vt suam de significatione Nouæ Stellæ exortæ vulgari anno Domini 1604 opinionem confirmaret.

Cæterùm nouissimè omnium hoc ipso anno editus est breuis & luculentus *Tractatus* amplissimi viri Pauli Petauij in supremâ curiâ Parisiensi Senatoris regij, *de Epochâ annorum incarnationis Christi* &c. in quo id agitur vt demonstretur Christus

conceptus pariter ac natus esse, Augusto XIII & Plautio Syluano consulibus, quasi annis triginta ante Tiberij decimumquintum: ideoq; ijsdem consulibus ex Cæsaris Augusti edicto, *sub Præside Cyrenio, Syriæ descriptionem siue censitionem factam esse*; secundum Lucam Euangelistam. Quum verò rectè obseruarit vir clarissimus, cardinem quæstionis versari in *census illius tempore*, concesso etiam errore Iosephi historici de eo; in quo peruestigādo propterea nos ita diu immorati sumus: ipse dum eundem ad Augusti XIII & Plautij Syluani consulatum refert, duplici potissimum errori obnoxius fit. Primum enim quod *Caium Cæsarem Augusti nepotem in Orientem* ob defectionem Armeniæ missum eo anno quo Augustus Tiberium Tribunitiæ potestatis sibi collegam cooptauit, & quo Rhodum secessit Tiberius, Antistij & Balbi consulatu, auctore Dione libro 55 asserit: Dionem ibi loci mutilum & corruptum esse non modò ipse nouem consulatuum defectus apertè loquitur, & præcipuæ eius editiones iampridem factę, Henrici Stephani & Ioannis Leunclauij &c. lacunis notatis clarè testantur; sed etiam alij historici antiquiores, Suetonius, Tacitus, præsertim verò Velleius disertis

verbis

verbis referens missionem Caij in Syriam, ad ipsum Augusti XIII & Syluani consulatum, prorsus euincũt. ac propterea quod subiungit ex eodem loco Dionis, sed post lacunas, de *factâ ab Augusto descriptione degentium in Italiâ*, quasi sub idem tempus; manifestum est spectare ad tempus consulum Aelij Cati & Sentij Saturnini, vtpote proximè antecedens Messalam & Cinnam consules deinceps assignatos: veluti suprà declarauimus. Deinde autem quod, Augusto XIII & Syluano cõss. *Cyrenium* à comitatu C. Cæsaris euocatum, in Syriam proximam Armeniæ præsidem ire iussum esse; inq; illius locum C. Cæsari M. Lollium datum custodem; è Taciti prænotato loco, (scilicet, *datus rector C. Cæsari Armeniam obtinenti*, &c.) & è Suetonii 3 l. 11 & 12 cc. conijcit; quia ait Suetonius *Tiberium transacto Tribunitia potestatis tempore* (id est quinquennio), *cum Caium Orienti praepositum, visendi gratiâ, traiecisset Samum, sensisse eum sibi alieniorem ex criminationibus M. Lollij comitis & rectoris eius*: & ille locus Taciti cum Velleio collatus arguit Lollium fuisse mortuum antequàm Caius obtineret Armeniam; ideoq; eundem Lollium, non Cyrenium (vt vult Petauius) primùm Caio datum

tum fuisse comitem; & verba Suetonii ab ipso prolata omnino confirmant Cæsum iam proficiscentem in Orientem, in itinere à Tiberio visum esse; ideoq; profectionem illam fuisse institutam demùm quinquennio post susceptam Tribunitiam potestatem Tiberii, id est, ipso consulatu Augusti XIII & Syluani, vt suprà item à nobis declaratum est. Præterea verò erratum est in eo (nimirùm occasione malè digestorum à Pontificiis Fastorum consularium) quod dicitur Censorinus *annos Iulianos* computare ab eo quo cæsus est ipse Iulius: quum ille disertè annum confusionis siue institutæ emendationis ad Iulii Cæsaris tertium & Lepidi cõsulatum, primum verò emendatum Iulianum ad eiusdem Cæsaris quartum sine collegâ (quinto autem suo consulatu, collegâ Antonio, cæsus est) referat. Verùm de ætate Christi decimoquinto anno imperii Tiberii, iuxta communem Petauio cum aliis opinionem, oportunè dicetur infrà suo loco. Itaq; non obstante viri amplissimi dissertatione illâ nouissimâ de tempore census sub quo natus fuerit Christus, cuius auctoritate nihilominùs multum detractum esse opinioni Suslygæ & Keppleri gaudeo; inconcussa manet nostra æternùmque manebit

nebit ſententia modò expoſita.

Porro autem de die quo Chriſtus natus fuerit, quo de Kepplerus admodùm incertus eſt, vtrùm fuerit ſextus Ianuarij, (ſcilicet iuxta Epiphanium,) an decimuſnonus Aprilis aut Maij, (id eſt, viceſimus quartus Pharmuthi aut Pachon menſium Aegyptiorum Auguſtanorum; iuxta antiquiores apud Clementem Alexandrinum, neutiquâm illos hæreticos Baſilidianos, quos diem Baptiſmi Chriſti die decimoquinto Tybi id eſt decimo Ianuarij feſtum agere ſolitos tantùm refert Clemens, veruntamen is, dies Natiuitatis refert 24 aut 25 Pharmuthi, ac 25 Pachon, qui viceſimis diebus Aprilis & Maij potius conferendi eſſent,) vel aliquis dies Septembris aut Octobris, (iuxta quoſdam noſtro ſeculo, inq; ijs Scaligerum,) vel deniq; viceſimus quintus dies Decembris, iuxta communẽ opinionẽ inde à ſeculo Ambroſij & Chryſoſtomi: equidem Natiuitatis Chriſti diem perinde incertum eſſe cenſeo; verùm de tempeſtate anni, ſanè nihil cauſæ video cur recedendum ſit ab antiquiſſimis ſententiis (vt è Clemente Alexandrino cuius modò meminimus apparet) ſtatuentium *Chriſti natale vernâ tempeſtate anni:* quum eam opinionem quæ iam à multis ſeculis

vulgò

vulgò obtinet, nec ante 360 ferè annum Euangelii, atq; omnino inani ratione natam esse constet; quasi nimirũ Zacarias Ioannis Baptistæ pater fuisset summus sacerdos apud Iudæos, atq; in sancto sanctorum (quod semel duntaxat fieret quotannis die decimo septimi mensis Iudaici respondentis ferè Septembri Iuliano) thus obtulisset tunc quando Angelus ei prædixerat conceptionem Baptistæ, ferè semestri ante conceptionem Christi. Neq; verò certiores sunt rationes quibus Scaliger ex hebdomadicis vicibus 24 classium sacerdotalium (de quibus non satis constat quomodo restauratæ vel quotiesmutatæ fuerint post captiuitatem Babylonicam, quandoquidem etiam ipsius anni Iudaici ratio intereà mutata sit,) aliiq; natiuitatem Christi ad autumnum referunt. Sed æstiuæ magis quàm vel hiemali vel autumnali vel denique hiuernæ tempestati anni cõuenit quod Euangelista refert de *pastoribus* qui in agris vigilarent gregibus suis natali Domini nocte: quandoquidem pecudum tunc sub dio pernoctantium fœtus adhuc teneri essent, & noxia animalia pleramq; partem fœta, eoq; magis rapacia.

A. 4010 m. desinente, mortuus est *Herodes*

rodes Iudæa rex, biennio post *infanticidium* (illudq́; vt apparet subsecutam cædem Alexandri & Aristobuli filiorum suorum), quadriennio autem post natum Christum, iuxta nostram chronologiam ex consensu veterum auctorum Christianorum, nominatim verò Eusebij & Epiphanij pluribus locis, & Sulpitij Seueri, (quanquam non Scaligeri, in notis ad Chronicon Eusebij ipsi reclamantis, neq; Suslygæ neq; Keppleri nequicquam contrà inferentium mentionem veteris Traditionis nescio cuius de bimulo Christo quando redijt ex Aegypto post mortem Herodis,) anno regni suiâ Cæsare restituti 37, paulò ante pascha; vtpote anno ætatis suæ fermè septuagesimo, vti Iosephus asserit, 1 l. de B. I. vlt. c. 8. Ant. 17 l. 8 c. vnde manifestè arguitur insignis ipsius error (qui tanto offendiculo fuit tum plerisq́; aliis tum præ omnibus deniq; Suslygæ & Kepplero), quatenus Herodem mortuum esse refert ante nouem annos (nempe annò 37 postquàm rex primùm designatus erat) eâdem ætate, quum *anni tantùm* 54 hucusq; fluxerint à tempore quo eum oppidò peradolescentulum, ac tantùm 15 annos natum, scilicet nondũ completo ætatis anno 16, Galileæ præsidem ab Antipatro patre cõstitutum

stitutũ esse scribit. atq; hunc errorem rectè obseruauit Cæsar Baronius: sed obseruato vsus est nihilo rectiùs quàm vel Suslyga & Kepplerus, vel Scaliger alijque, qui eundem ignorantes aut dissimulantes plurimũ sudarunt in eo vt demonstrarent Christi natiuitatem, si non integro biennio propter infanticidium, at saltem aliquo tempore ante mortem huius Herodis contigisse: adeo vt propterea Scaliger etiam Iosepho suo errorem saltem biennij impingere annumq; 39 pro 37 præscribere ausus sit. Eundem verò errorem Iosephi arguere videtur Dion 55 l. scribens, sub hoc ipsum tempus, Lepido & Arruntio consulibus, Herodem Palæstinum à fratribus accusatũ, ab Augusto trans Alpes relegatum esse: hoc enim licèt ex parte falsum sit tanquam eatenus ex ipsius Iosephi lacunis haustum, satis tamen innuit in hæc tempora incidisse *contentionem illam de regno* inter *Herodis* filios mortuo iam patre habitam coram *Augusto*; quâ *Herodem Antipam* regnum ambientem, vtpote in prioribus testamenti patris tabulis, scriptis post condemnatum Antipatrum consulatu Lepidi & Arruntij, successorem nominatum superauit *Archelaus*; quorũ vterq; postea trans Alpes relegatus est. quod enim

nim Baronius & Scaliger, atq; Suslyga & Kepplerus pro Herode Archelaum legendum putant, minùs probabilis istîc est nominum confusio.

Atq; hoc tempus *mortis Herodis* magni (rem sanè maximi momenti ad confirmandam nostram sententiam de tempore Natiuitatis Domini Christi) maximè confirmat *Lunæ defectus*, quem Iosephus, Ant. 17. l. 8 c. scribit conspectum esse paucis diebus ante illius mortem. qui calculo nostro certè permagnus, & perquàm tempestiuè, adeoq; tempestiuius quàm ille Scaligeranus & aliorum anteuertentium nostrum calculũ hîc ampliùs septennio, (nam altum de hâc re silentium apud Deckerii discipulum Suslygam, quid enim cum eiusmodi amaracino, ieSuitæ humulentas traditiones suffodienti?) deniq; plusquàm duplo maior & magis tempestiue quàm ipsius Keppleri Cæsarei Astronomi defectus, cuius argumento hic etiam Suslygæ calculum istîc anteuertit vno anno, nostrũ autem integro decennio; contigit circa primam facem noctis confecutæ vicesimum diem Februarii anni Iuliani 53, ita vt in *Iudæorum* propter occisos ab *Herode* eodem die adhuc tumultuantium, vt innuit Iosephus, oculos incurrerit; postremo

ſtremo anni Iudaïci plenilunio, proximoq; ante ſequentis anni paſcha celebratum plenilunio Xanthici menſis Syromacedonici: inter quæ propè medio ſpatio ac fine anni Iudaici Herodes ille diem mortis obierit.

Igitur anno ſequente, ſcil. 4011 m. *regni Iudææ partem* totius dimidiam cum *Ethnarchiæ* titulo ab Auguſto obtinuit *Archelaus*; *Herodes* verò cognomento *Antipas* & *Philippus*, duo reliqui fratres quartam vterq; partem ſiue *Tetrarchiam*. Interim verò dum hi *Romæ* ſententiam Auguſti expectabant, *Simon* quidam *Iudæus* regnum occupauerat; qui à *Quintilio Varo Syriæ* præſide oppreſſus eſt.

Poſthæc autem *Philippus* in ſuâ tetrarchiâ condidit *Iuliadem* vrbem denominatam à *Iuliâ* Auguſti filiâ, poſtquàm ea iamdudum ex inſulâ in continentem à patre reſtituta & lenioribus conditionibus habita erat: cuius in integrum reſtituendæ gratiâ adeò mirum in modum Auguſto adulatum eſſe Populum Romanum auctores ſunt Suetonius, ac præſertim Dion, 55 l. vt planè nihil argumenti reliquũ fiat Suſlygæ & Kepplero conantibus hinc probare Iuliadem à Philippo Tetrarchâ

conditam, ideoq; Herodem eius patrem diutius mortuum fuisse ante relegatam Iuliam: vt taceam Liuiam etiam apud Iosephum appellatam esse Iuliam, idq; ante Herodis ne dicam Augusti mortem.

A. 4018 m. *Augustus Iudæa* regnum quod *Archelao* dederat, eidem ademptum in prouinciæ formam redegit, anno post mortem Herodis patris 8, neutiquàm vero 9, neq; 10, vt Iosephus parùm constantèr scribit. Omnino enim constat *Archelai* patrimonium relatum esse in fiscum Romanum *censu Augusti tertio*, qui vix absolutus est, Suetonio teste in Octauiano, 97 c. & Tiberio, 21 c. ante eius mortem: nempe *anno* 37 (non Actiacæ victoriæ, siue monarchiæ, vti putabat Iosephus, quæ nobis videtur fuisse altera & quidem præcipua erroris eius causa,) sed *Tribunitiæ* siue sacrosanctæ *potestatis*: in quem annum & illius census consummatio, & Augusti mors incidit. *Mortuus* enim est *Augustus* hoc ipso anno, duobus *Sextis Pompeio & Apuleio* consulibus, die 19 mensis Augusti, post cædem Iulij Cæsaris 57 & dimidio ferè, post Actiacam victoriam 44, atq; post continuatam Tribunitiam supremam illam & sacrosanctam potestatem per sep-

tem

tem & triginta annos (id est ad septimum & tricesimum annum inceptum) vti scribit Tacitus, 1 1. Annalium. Vnde nimirùm Iosephus natione Iudæus haud penitùs perspectâ illius Romani vocabuli vi & origine, cum sequentium Imperatorum sciret idem fuisse initium Imperij & Tribunitiæ potestatis; Augusti quoq; potestatem Tribunitiam videtur arcessiuisse ab Actiacâ victoriâ quando primùm solus Imperij summâ potitus erat: eoq; pacto totidem ferè annos regnorum Herodis eiusq; filiorum, quot inter vtramque interuenerint, tum alijs antehàc, tum nouissimè Suslygæ & Kepplero (instituentibus particularia argumenta annorum quibus regna inijsse aut finijsse referuntur Herodes ac filij eius Archelaus & Philippus apud Iosephum, non considerato vno atq; eodem omnium errorum eiusdem generis fonte apud ipsum,) anticipandi ansam dedisse. Interim verò *Herodi Tetrarchæ* 24 annos post relegatum Archelaum ascribunt Eusebius in Chronico & Sulpitius Seuerus; quot scilicet intercesserũt à morte Augusti ad secundum annum imperij Caij, in quem eius relegationem conferre videtur Iosephus, Ant. 18 l. 9 c. Nostræ

autem sententiæ perinde de tempore *relegati Archelai*, quamlibet reclamante itidem Scaligero atque inuitis Suslygâ & Kepplero, astipulatur non solùm Eusebius in Chronico, conferens Archelai relegationem & Augusti mortem in eundem annum; sed etiam Epiphanius priore parte operis contra hæreses, capite de peregrinatione Christi, disertè affirmans nono anno ab initio regni Archelai, primoq; *Herodis Antipæ* (ita enim emendandum quod legitur Agrippæ) siue Tetrarchæ post eius finem, *Christum* egisse ætatis annum decimumtertium: cuius scilicet initio, vtpote duodecim annos natum Lucas Euangelista ipsum in templo Hierosolymitano inter doctores disputasse refert.

Itaq; illo anno 37 Tribunitiæ potestatis Augusti *census* in *Iudeâ Syriâq;* totâ actus est à *Quirinio*, (& quidem modò *relegato Archelao* vti refert Iosephus, Ant. 17 l. vlt. c. & 18 l. 1 & 3 cc. quod demùm certissimum argumentum aliorum errorum suorum agnouit ipse, frustraq; effugere conatur Kepplerus;) nempe *tertius Augusti* iussu, *secundus* verò *Quirinij* operâ: quo *Iudas Galilæus* seditionem mouit. Cæterùm mortuo Cæsare Augusto statim in

imperio

-imperio Romano succeſſit *Tiberius Cæſar.* Poſt Archelai verò relegationem primus *Iudæa* præſes fuiſſe videtur *Valerius Gratus*; ita vt M. Ambiuius, & Annius Rufus, Cæſaris procuratores fuerint regnante adhuc Archelao; Coponius autem ſub Quirinio. Erat autem ille annus mortis Auguſti & relegationis Archelai noſtrâ chronologiâ Iubileus naturalis ab orbe condito 82, verum à morte Moſis 30.

A. 4030 m. ac 24 Chriſti nati, Grato ſucceſſor in *Iudæam* miſſus eſt à Tiberio præſes *Pontius Pilatus*, qui Iudææ præfuit annis 10, iuxta Ioſephum Ant. 18 l. 5 c.

A. 4032 m. a. 4 Olymp. 201, ac 77 imperij Cæſarum, in quem incidit *annus 15 imperatoris Tiberij Cæſaris*, atq; propè deſinentem *conſulatus Rubellij & Fuſij* vtriuſque cognomento *Gemini*, illo anno naturali completo iuxta noſtram chronologiam conſummata eſt plenitudo temporum veteris fœderis inter Deum ac homines ſub lege Naturali ac Moſaicâ. Eſt autem 4032 annorũ numerus compoſitus è duodenarij quadrato & ſeptenarij quadruplo, itemq; ex octonarij quadrato & ſeptenarij noncuplo inſigni illo climacterico, id eſt ſexagies ter ſexagenis quaternis:

quorum quidem numerorum vtrorumque quasi radices 144 & 448 etiam insignes Solis Lunæque periodos comprehendunt, vt in Tractatu nostro de varijs Annorum formis diximus. Atq; ille idem annus est 480 septimæ nostræ magnæ periodi constantis 592 annis. Ac denique idem est annus bisseptenus post completos Iubileos naturales à mundi conditu 82, à morte Mosis 30.

Anno

PRINCIPIVM *Euangelij.*

ANno 4033 mundi conditi ineunte, vt & anno 15 siue primo tertiæ septimanæ tendente ad Iubileũ naturalem 83, Mosaicũ 31, medio autem *anno 15 imperij Tiberij Cæsaris*, ac celebratis illis cõss. *C. Rubellio Gemino et C. Fusio Gemino*, circa festum Paschatis, vt apparet, *Ioannes Baptista Zachariæ* filius Dei vocationi obsecutus cœpit peragrare vniuersam regionem *Iudææ* adiacentem Iordani, prædicans *baptismum* resipiscentiæ ad remissionem peccatorum; sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ dicentis; Vox clamantis in deserto est, Parate viam Domini. Lucas Euangel. 3 c. Hoc scilicet erat *principium Euangelij*: atq; hîc statuendam esse eius *epocham* disertis verbis significat Euangelista Marcus 1 c. 1 v. sed & Lucas dicto 3 c. 1 v. quatenus hunc annũ accuratiùs ac manifestiùs ibi definit quàm vel ipse vel quisquam Euangelistarum annum aut natiuitatis aut mortis & resurre-

ctionis Christi: quinimò etiam ipse Christus Mat. 11 c. 12 v. & Luc. 16 c. 16 v. inquiens, *Lex & Prophetæ* (quatenus nimirùm hi erant illius interpretes, viguerunt) *vsq; ad Ioannem Baptistam; ab eo tempore regnum Dei euangelizatur, & quilibet in illud vi perrumpit.*

A. 4034 m. 2 euangelij, *Seianus* Tiberij aulicus potentissimus, tanquã alter Aman, *gentem Iudæorum* deleri ab imperatore instantissimè petiit: vt ex Philone refert Eusebius.

A. 4035 m. 3 euangelij, ruit ingens *Seianus* lapsu grauissimo,

---

A. 4036 m. ac 4 euangelij promulgari cœpti, vtroq; paulò plusquàm medio, Tiberij autem 19 non ita pridem incepto, atq; 18 Herodis Tetrarchæ completo post regnum Archelai iuxta Epiphanium, videtur *Iesus Christus à Ioanne baptizatus*, & ad functionem muneris siue officij triplicis, scilicet prophetici sacerdotalis ac regij, cuius ergo carnem humanã assumpserat, initiatus esse; circa initium mensis naturalis 8, vtpote Marcheſuan Iudæorũ ac Dij Syromacedonum, atq; Augustani Athyr Aegyptiorum, & Nouembris Romanorum, vt intelligere licet ex eodem

Epiphanio

Epiphanio contra hæresim 51. quum Pontificiorum opinio à Cæsare Baronio laudata quæ baptismum Christi confert in diem 6 Ianuarij, etiam sibi ipsi aduersetur, quatenus primum quoq; signum à Christo in nuptijs Canæ editum ad eundem diem refert.

Sed ego nimis audax ac temerarius fortasse videar qui Christum baptizatum arbitrer fere integro quadriennio posteriùs quàm vulgò recepta per mille ac trecentos fermè annos non modò Pontificiorũ sed etiam nostrorum tulerit opinio; Christum haud paulò ante hoc tempus, vtpote vernâ tempestate anni 18 Tiberii, consummato ministerio suo mortem perpessum esse statuens. præsertim quum Laurentius Suslyga tanto apparatu ac hiatu atq; Iesuitæ Theologiæ Doctoris & Cancellarii Vniuersitatis suggestione, qui (vt ipse scribit) cibum hîc ei præmansum in os inseruit, (scilicet, neglectis historiæ frugibus, traditionum glande saginauit,) quanquã haud perinde Cæsaris Mathematico comite, libro nuper edito cõtendat Christũ passum esse anno Domini vulgari Dionysiano 31, ac propterea 17 imperii Tiberii, solido quinquennio antequàm nostra ferat sententia: fundamento opinionis suæ

posito

posito quod Synodus Cæsareensis à Theophilo episcopo homine Syrogræco habita nomine Victoris Papæ Romani contra Quartadecimanos tradatur statuisse Christi resurrectionem è mortuis die 8 cal. Aprilis siue 25 die Martii, nempe Cæsareo cardine verni æquinoctii. Verùm huic constitutioni suppositiciæ & nimis inconsideratæ, vt iamdudùm collegimus 19 c. Tractatus nostri de variis Annorum formis, è dierum calculo iuxta Latinum morem duntaxat, ac ineptâ non modò terminorum sed etiam dominicorum Paschalium coercitione inter 22 diem Martii & 21 Aprilis, (præsertim quum etiam medium nouilunium paschale illo anno contigerit duodecimo die Martii septimanæ secundo, plenilunium autem vicesimo septimo die eiusdem mensis atq; septimanæ tertio, quum ad confirmandam illam opinionẽ debuisset vicesimo tertio die mensis septimanæ sexto,) ampliùs confutandæ non est cur immoremur: quandoquidem ipse quoq; Kepplerus Astronomus professus sit, se quo loco eum (nempe Suslygam) de Passionis anno differentem legit, proiecto libro calamoq; stomachabundum sese proripuisse de Tabula: nimirùm quòd traditionibus nimium tributum repererit.

Atqui

Atqui *rationes*, ſententiæ noſtræ hæ ſunt.

Prima. Quum appareat Chriſti baptiſmum relatum eſſe ad annum 15 Tiberij propter verba illa Lucæ Euang. 3 c. neq; Lucas ibi (nec Euangeliſtarum quiſquam alibi) dicit *Chriſtum tunc baptizatum eſſe*, ſed tantùm Ioannem tunc cœpiſſe prædicare. ac ſanè contrà ex omnibus Euangelijs atq; etiam ex Actis Apoſtolorum, verbi gratiâ cõcione Pauli 13 c. 24 & 25 vv. apparet maiore interuallo temporis *Ioannem anteceſſiſſe Chriſtum ad annunciandum aduentum eius atq; præparandum ei populum inſtructum*: qui interim etiam quum nullum miraculum ediderit, tamen adeo in ſe omnium oculos atq; animos conuerterat, tantæq; auctoritatis apud Iudæos euaſerat, vt plurimi ſuſpicati ſint eum fuiſſe ipſum Chriſtum; ac *primores populi* eâ de re honorificam *legationem* ad ipſum miſerint, ſub reditum *Chriſti* à quadraginta dierum poſt baptiſmum *ieiunio & tentatione in eremo*; nempe vt apparet, feſto Encæniorum Macchabaicorum circa finem Caſleu menſis Iudaici atque naturalis noni huius anni.

Secunda. Erat *Chriſtus* cum baptizabatur, vt ſcribit Lucas Euangel. eodem 3 c. *annorum quaſi* 30 ſiue filius annorum 30

vt

vt Hebræi loquuntur, & locutus est Deus ad Mosen de tempore assumendi Leuitas (nimirùm ipsius typos) ad sacrum ministerium, Num. 4 c. 3 v. id est, agebat & saltem dimidiâ ex parte exegerat annũ ætatis 30, (neutiquam vero 33, qui Iesuiticis Suslygæ atq; etiam Mathematicis Keppleri rationibus consurgit à 41 vel 40 anno Iuliano ad 74 vel 73, & 15 Tiberij,) quando initiatus est, siue quando *cæpit fungi* toto illo *munere & officio* ad quod ante iacta mundi fundamenta destinatus erat. videtur enim vox illa ἀρχόμενος spectare ad officij functionem, non ad annum ætatis vt pleriq; putant: sequentia verò verba sic coniungenda, ὢν ὡς ἐνομίζετο, apertè significant, qui quidem existimabatur esse, siue habitus est filius Iosephi, &c. Quum autem ex ijs quæ paulò superiùs scripsimus appareat Christum natum esse medio tempore secundi census ab Augusto acti, primi autem acti per Quirinium, vernâ temperstate anni 41 Aeræ Augusti Gallicæ Hispanicæ & Africanæ, 33 post Actiacam victoriam, 30 imperij Augustorum, quadriennio ante mortem Herodis, atq; anno proximè præcedente initium Tribunitiæ potestatis Tiberij, quo consules fuerunt Aelius Lamia & Seruilius

lius Geminus, ſequentibus Aelio Cato & Sentio Saturnino: nimirùm autumno *triceſimi inde anni*, conſulatu Domitij & Vitellij ſiue Camilli ad finem tendente conuenit initium deciminoni anni imperij Tiberij.

Tertia & potiſſima ratio. Ab ineunte anno 20 Artaxerxis Longimani, quo cœpit Deus exequi decretum ſuum pro reædificandâ vrbe Hieroſolymorum operâ Nehemiæ autumno anni 3553 m. ad Chriſti manifeſtationem atque initium miniſterij factum à baptiſmo ipſius, autumno anni 4036 m. iuxta chronologiam noſtram *exacti ſunt praecisè* 483 *anni, ſiue* 69 *hebdomades annorũ:* vnde relinquitur *Septuageſima Hebdomas confirmando fœderi Euãgelij inter Iudæos*, cuius medio Chriſtus occidendus erat; ſecundum genuinam antiquitùs maximè receptam interpretationem prophetiæ *Danielis* in fine 9 c. Sequuntur verò & aliæ multæ rationes ſuis annis expoſitæ.

A. 4037 m. 5 eu. ineuntibus, ſolenni feſto Paſchatis *Ieſus Chriſtus Hieroſolymis* coram vniuerſo cœtu Iudæorum ad celebrandum feſtum congregatorum manifeſtam facturus auctoritatem atq; gloriam ſuam, quum inueniſſet in templo ſedentes

venditores

venditores boum & ouium & columbarum atque nummularios; flagello facto è funiculis omnes eiecit è templo & oues & boues, ac argentariorum nummulos effudit mensasq; subuertit. Dicentibus verò Iudæis, quod signum ostendis nobis quòd ista facis? respondit Iesus, si destruxeritis hoc templum; restaurabo ipsum intra triduum. quapropter dixerunt Iudæi (arbitrati scilicet eum locutum esse de illo templo lapideo externi cultus Dei) *quadraginta & sex annis* hactenus ædificatum est hoc templum, (ita enim enunciatur verbum ᾠκοδομήθη aoristo tempore non definitè vel perfectè præterito,) an tu igitur extructurus esses illud intra triduum? Iohan. Euang. 2 c. Erat autem hic annus (*quarta ratio*) nostrâ chronologiâ quadragesimus sextus à decimooctauo restituti regni Herodis; quo ipse templum Hierosolymitanum amplius exædificare cœpit, vti paulò superiùs declarauimus: quod adhuc neutiquam consummatum erat, vti constat ex Iosepho, Ant. 20 l. 17 c. nam quod multi illam summam annorum referunt ad ædificationem templi sub Zorobabele, id nullo modo conuenit. ab anno autem 18 regni Herodis cœpti captis à Sosio Hierosolymis, quo alij cœptam templi restaurationem

ionem putant, ad vernam tempestatem sue pascha Iudaïcum 15 anni Tiberij inerueniunt 47 anni.

Eodem autem anno, circa initium anni secundi à baptismo *Christi*, paulò ante secundum ipsius reditum in *Galilæam*, quo de Iohan. Euang. 4 c. *Ioannes Baptista* cõiectus est in carcerem; atq; occisus deinde intra annum, vtpote proximè sequente Herodis Tetrarchæ die natali. Iam verò *(quinta ratio)* illius neque carcerationem contigisse ante annum 20, neque cædem nisi demùm circa initium 21 anni Tiberij colligere licet è Iosepho historico, qui Iudaicar. Antiqu. 18 l. 7 c. manifestè innuit Herodem ob acceptam in matrimonium Herodiadem repudiatamq; priorem vxorem confestim bello fuisse lacessitum ab Aretâ rege Arabum huius patre, atque prœlio superatum esse ab eodem paulò post necatum Ioannem, idq; circa initium præfecturæ Vitellij in Syriâ; quem Cornelius Tacitus Annal. 6 l. scribit Orienti præpositum esse Cestio Gallo & Seruilio Rufo Romæ consulibus, nempe anno Tiberij 21 ferè dimidiâ ex parte transacto.

Porro autem quum appareat annum carcerationis Baptistæ, à quo tres priores

Euan-

Euangelistæ initium prædicationis Christi faciunt, fuisse *Sabbaticum* ex ipsius concione *Nazarethæ* habitâ, Luc. 4. c. vtiq; *(sexta ratio)* annus ille, nostrâ chronologiâ congruens vicesimo Tiberij erat Sabbaticus, à solutâ quidem captiuitate Babylonicâ octogesimus primus, post captam autem à Sossio & Herode Hierosolyma decimus. alioqui verò post 15 annum Tiberii nullus Sabbaticus (nedum Iubileus qualem multi fuisse ex eâdem concione contendunt) tempore prędicationis Christi à carceratione Baptistæ contigerit.

A. 4038 m. 6 eu. ferè medio, apparet *Ioannem Baptistam* fuisse decollatum.

A. 4039 m. 7 eu. videtur *Herodes Tetrarcha* ab *Aretâ* rege *Arabum* acie victus esse sub initium *Vitellij* præfecturæ *Syriæ*.

A. 4040 m. 8 eu. ineuntibus, transactâ vnâ integrâ annorum *septimanâ* post cœptum annunciari euãgelium à Ioanne Baptistâ, atq; *dimidiâ post baptismum Christi*, anno Tiberii 22 quasi medio, atq; *medio Septuagesimæ Hebdomadis Danielis* chronologiâ nostrâ, *Iesus Christus* completis propè 33 ætatis suę annis, *quarti* post baptismum festi *Paschatis & Azymorum* (vt ex Euangelistarum mutuâ collatione liquet,

quet, non quinti vt contendit Scaliger,) die primo, nempe decimoquinto die mensis primi, septimanæ autem sexto, sub *Romanorum imperio* siue *quartâ Ethnicorum monarchiâ*, ignominiosissimam *mortem in cruce perpessus* pro peccatis humani generis, oblato corporis sui sacrificio vero complementum dedit sacrificiis Mosaïcis quatenus ipsa huius erant typi, item iuxta prophetiam illam Danielis, 9 c. *Die* autem post mortem *tertio* suâ diuinâ potentiâ è *mortuis resurrexit viuus*, manè primi diei septimanæ, qui hinc nobis Christianis vice Sabbati Iudaïci obseruatur exemplo Apostolorum Christi, appellatus *dies Dominicus*.

Incidit autem hoc anno *(septima ratio)* primus ideoq; *decimusquintus* dies primi mensis scilicet *Paschalis* in *sextum* diem septimanæ absq; omni controuersiâ (ille quidem die 16, hic 30 Martij Iuliani 81): quomodo neutiquàm incidisset intra septennium anteà nempe post 15 annum Tiberij hucusq;, neq; iuxta dispositionem initialium dierum anni minoribus periodis nostris annorum 144 & 98 accommodatam, neq; iuxta vulgarem *periodum paschalem* Dionysianam: quæ sola ratio fertur mouisse Paulum Burgensem episcopum

Euangeliſtæ initium prædicationis Chriſti faciunt, fuiſſe *Sabbaticum* ex ipſius concione *Nazarethæ* habitâ, Luc. 4. c. vtiq; *(ſexta ratio)* annus ille, noſtrâ chronologiâ congruens viceſimo Tiberij erat Sabbaticus, à ſolutâ quidem captiuitate Babylonicâ octogeſimus primus, poſt captam autem à Soſſio & Herode Hieroſolyma decimus. alioquî verò poſt 15 annum Tiberii nullus Sabbaticus (nedum Iubileus qualem multi fuiſſe ex eâdem concione contendunt) tempore prędicationis Chriſti à carceratione Baptiſtæ contigerit.

A. 4038 m. 6 eu. ferè medio, apparet *Ioannem Baptiſtam* fuiſſe decollatum.

A. 4039 m. 7 eu. videtur *Herodes Tetrarcha* ab *Aretâ* rege *Arabum* acie victus eſſe ſub initium *Vitellij* præfecturæ *Syriæ*.

A. 4040 m. 8 eu. ineuntibus, tranſactâ vnâ integrâ annorum *ſeptimanâ* poſt cœptum annunciari euãgelium à Ioanne Baptiſtâ, atq; *dimidiâ poſt baptiſmum Chriſti*, anno Tiberii 22 quaſi medio, atq; *medio Septuageſimæ Hebdomadis Danielis* chronologiâ noſtrâ, *Ieſus Chriſtus* completis propè 33 ætatis ſuę annis, *quarti* poſt baptiſmum feſti *Paſchatis & Azymorum* (vt ex Euangeliſtarum mutuâ collatione liquet,

quet, non quinti vt contendit Scaliger,) die primo, nempe decimoquinto die mensis primi, septimanæ autem sexto, sub *Romanorum imperio* siue *quartâ Ethnicorum monarchiâ*, ignominiosissimam *mortem in cruce perpessus* pro peccatis humani generis, oblato corporis sui sacrificio vero complementum dedit sacrificiis Mosaïcis quatenus ipsa huius erant typi, item iuxta prophetiam illam Danielis, 9 c. *Die* autem post mortem *tertio* suâ diuinâ potentiâ è *mortuis resurrexit viuus*, manè primi diei septimanæ, qui hinc nobis Christianis vice Sabbati Iudaïci obseruatur exemplo Apostolorum Christi, appellatus *dies Dominicus*.

Incidit autem hoc anno (*septimana ratio*) primus ideoq; *decimusquintus* dies primi mensis scilicet *Paschalis* in *sextum* diem septimanæ absq; omni controuersiâ (ille quidem die 16, hic 30 Martij Iuliani 81): quomodo neutiquàm incidisset intra septennium anteà nempe post 15 annum Tiberij hucusq;, neq; iuxta dispositionem initialium dierum anni minoribus periodis nostris annorum 144 & 98 accommodatam, neq; iuxta vulgarem *periodum paschalem* Dionysianam: quæ sola ratio fertur mouisse Paulum Burgensem episcopum

pum Foroſempronienſem ex Iudæo Chriſtianum (qui immenſum volumen ſcripſiſſe dicitur de tẽpore obſeruandi Paſchatis) vt cenſeret Paſſionem Domini transferendam eſſe à recepto 32 anno Dionyſiano vſque ad hunc ipſum 36; cui propterea accommodandum etiam 18 annum Tiberij ſcilicet quaſi per ſomnium crederet, vti (niſi me fallit memoria) apud Lucidum de eo me legiſſe memini. Etſi verò nouilunium anno 18 Tiberij, perinde ac menſis primi ſiue paſchalis initium noſtræ maguæ periodi anno 484 eidem congruente, incidit item in ſextum diem ſeptimanæ, atque ſequente anno in quintum tendentem ad finem: tamen neutiquàm ita commodè vt hoc anno 488 eiuſdem periodi & 22 Tiberij; quo æquè verum ac medium tum nouilunium primo, tum plenilunium decimoquinto die mẽſis primi, vtrumq; ſexto die ſeptimanæ euênit. Porro autem quum anno quo Chriſtus mortem perpeſſus eſt *Iudæos celebraſſe Paſcha vno die ſerius* quàm ipſum cum diſcipulis (qui tamen die legitimo celebrârit) è collatione Euangeliſtarum conſtet, eamque differentiam appareat natam eſſe ex eo quod Chriſtus anni Naturalis, Iudæi autem Calippici Syrogræcorum neomeniam

am obſeruarent: eodem anno 22 Tiberij, qui erat 61 quintæ periodi Calippicæ, Xanthicus Syromacedonum (cui reſpondit Niſan menſis primus Iudæorum) iniuit poſtridie naturalis neomeniæ, Martij Iuliani die 17, ſeptimanæ ſeptimo, æquè iuxta Scaligeri ac noſtram illius periodi explicationem.

Itaq; diei quo *Chriſtus* reſurrectione ſuâ declaratus eſt Dei filius, ac ipſe Deus, atq; *Primitiæ* reſurgentium è mortuis, cum fuerit decimuſſeptimus dies primi menſis Naturalis ac decimuſſextus Iudaïci Niſan, ſeptimanæ autem primus, (ipſe ſcilicet *dies ſolennis Primitiarum* inchoatæ meſſis tum verus tum etiam quoad Iudæos illo anno, quo item Pentecoſte & vera & Iudaïca in eundem diem conuenit,) iuxta rationes noſtras reſpondit primus dies Aprilis menſis Romanorum Cæſarei: qui antiquis Chriſtianis primus menſis ſolaris anni habitus eſt: vtpote in quo lunatio paſchalis plerunq; compleretur.

Cæterùm quod ad ſolis eclipſin attinet quam Euſebius & alij ex Phlegontis Chronologiâ referunt ad tempus cruciatus Chriſti, quaſi propter verba Euangeliſtarum: nec Euangeliſtarum quiſquam dicit *ſolem* tunc paſſum eſſe eclipſin, ſed

tantùm *obſcuratum eſſe*, nimirùm denſis nubibus aut caligine, in totâ illâ terrâ (Iudæâ ſcilicet): neq; ipſe ſibi conſtat Euſebius de anno quo eiuſmodi eclipſis contigerit, vtrum ſcilicet anno Tiberij 18 cui conuenit annus 3 Olympiadis 202, an 4 ſiue vltimo anno eiuſdem Olympiadis cui 19 annus Tiberij. porro neq; idem Euſebius, nec quiſquam alius auſus eſt Phlegonte auctore aſſerere eclipſin ſolis cõtigiſſe plenilunio, vel illo die, vel illo menſe, vel illâ tempeſtate anni, vel deniq; in illâ regione nempe Iudæâ, quibus Chriſtus crucifixus eſt. quin potius Phlegontis verba apud Euſebium innuunt eclipſin illam maximam contigiſſe in Bithyniâ videlicet ibidem vbi terræ motus. quod ſi in Bithyniâ ſolis eclipſis vniuerſalis fuit, fuit ſanè tantùm partialis in Iudæâ: atq; minimè magna in Heliopoli Aegypti, vbi nimirùm auctor epiſtolarum editarum ſub nomine Dionyſij Areopagitæ ſe eam conſpexiſſe ſcribit. qui quidem auctor ſatis inde prodit vanitatem ſuam, ſuperque ex eo quod porro aſſerens eiuſmodi eclipſin cõtigiſſe circa plenilunium quadã feriâ ſextâ, id eſt (Chriſtianis à Conſtantini imperatoris ſeculo) quodam die ſeptimanæ ſexto, neq; diem menſis neq; menſem neque

que annum designet quo cõtigerit, quum dicat se examinasse ipsam ad canones Astronomicos: quasi autem verisimile sit Dionysium Areopagitam antequàm receperat Christianam fidem, aut Apollophanem sophistam eius socium magis calluisse dies septimanarum Iudaïcarum quàm dies mensium Athenienſium aut Aegyptiorum.

Eodem anno 4040 m. ac 8 eu. circa initium 23 anni Tiberij conueniens fermè septimo mensi naturali, *Pilatus* Iudææ prę-ses scripsit ad *Tiberium* de *Christo* eiusque discipulis: vti refert Eusebius in Chronico, & Eccles. hist. 2 l. 2 c. sed & post alios plures Marianus Scotus nostras plura adijciens ex Methodio. Ita vt hinc etiam liceat colligere *(octana ratio)* Pilatum paulò ante 33 annum Tiberij de Christo cognouisse; famamq; resurrectionis & ascensionis eius in cœlum, ac miraculorum in *Apostolis* eius editorum *Hierosolymis*, recentem tunc fuisse; quum & hoc primum tempore illum scripsisse appareat, & de recente scripsisse verisimile sit: quod etiam ipse Eusebius in historiâ diserte addit.

Circa initium anni 4041 m. 9 eu. idem *Pilatus* qui Christum non ita pridẽ iactabundus

bundus interrogauerat, an non intelligeret ipsum habere potestatem statuendi de capite eius; missus est *Romam*, ad reddendas Imperatori rationes eorum quorum Prouinciales eum accusarent, à *Vitellio Syriæ* Præside accedente *Hierosolyma*: qui eodem tempore etiam (neutiquam verò triennio antea vt Scaliger putat Prolegomenis in Chronicõ Eusebij) vt videtur sub festum Paschatis, summum sacerdotium transtulit à *Caiphâ* qui multis annis illud obtinuerat quum gener esset *Annæ*, ad Ionathanem filium eiusdem, cuius ijs temporibus è genere *Archieratico Hierosolymis* maxima erat auctoritas iuxta historiam Euangelicam; atq; mox à Ionathane ad alium, sub festum Pentecostes eiusdem anni, vt apparet, nimirùm dum susciperet expeditionem contra *Aretam* regem *Arabiæ* causa *Herodis* ab eodem vt supradictum prœlio superati; quæ interueniente nuncio *mortis Tiberij* omissa est; vti refert Iosephus.

Tiberio verò mortuo Martij die 16, postquàm imperauerat à Cæsaris Augusti morte 22 annos ac propè 7 menses; in imperio successit *Caius Cæsar Caligula* filius Germanici nepos Drusi fratris Tiberij: qui statim concessit *Agrippæ* filio Aristobuli nepoti

nepoti Herodis magni, tetrarchias Philippi paulò ante mortui (in cuius regni annis perinde errauit Ioſephus ac in annis patris Herodis & fratris Archelai,) atque Lyſaniæ.

A. 4042 m. 10 eu. quaſi nuper inceptò videtur contigiſſe *cædes Stephani* vnius è ſeptem Diaconis inſtitutis anno præcedẽte, ac *Protomartyris* Chriſti, propè ſemeſtri ante *conuerſionem Sauli*, ineunte ſecundo anno *Caij*: vtpote in quem annum (*nonaratia*) quadriennio vel quinquennio poſteriùs quàm vulgus aſtipulante Cæſare Baronio, eam conieciſſe ex antiquiſſimis Chriſtianorum patrum Hippolytum Thebanum & Euodium ſignificent Nicephorus Calliſtus & Michael Glycas, dum appellant eundem annum 7 à morte & reſurrectione Chriſti, quam ſcilicet ipſi item cum vulgo ſtatuerint anno 18 Tiberij. Enimuerò quum non ſit veriſimile Hippolytum & Euodium ſtatuiſſe amplius biennio inter neces Chriſti ac Stephani: illud contrà fit veriſimile ipſos necem Chriſti ſtatuiſſe ſaltem anno quarto poſt 18 Tiberij. Atq; huc nimirùm ſpectat quod etiam Marianus Scotus, ex Bedâ, ordinationis ſeptem Diaconorum mentionem repetit primo anno Caligulæ. Saltem verò illud,

quod ipsum solum non leue momentum habet ad confirmandam hanc nostram sententiam, necessariò consequens est ex ijs quæ referunt Callistus & Glycas, nempe Hippolyti & Euodij iudicijs rationem temporum *peregrinationis Pauli* constare ex secundo anno Caii.

A. 4043 m. 11 eu. quo *Caius Cæsar* sub annum 4 imperij sui *Heradis Tetrarcha* in Galliam relegatu tetrarchiam adiecit regno *Agrippæ*, exactis annis 490, iuxta chronologiam nostram, à cœptâ executione decreti Diuini pro reædificatione vrbis Hierosolymitanæ operâ *Nehemiæ, completa est Septuagesima inde Hebdomas Danielis: quâ multos Iudæorum in fœdus Euangelij Christi* acceptos esse testantur Euãgelistę, ac Lucas etiam Actis Apostolorum vsque ad 9 c. 31 v. vbi loquens de statu Ecclesiæ interim dum *Saulus* post conuersionem agebat *Damasci* & in *Arabiâ*: *Ecclesiæ igitur*, inquit, *per totam Iudæam & Galilæam & Samariam habentes pacem ædificabantur, & pergentes in timore Domini & consolatione Spiritus sancti multiplicabantur.* Itaq; *Hâc* annorum *Septimanâ Christus* iuxta Psalmi 45 versus 4, 5, & 6, ac finem 9 c. Dan. atq; initium 6 c. Apocal. videtur prodijsse tanquam hæres regni & princeps

ceps legatus ac ſupremus dux militiæ Dei, qui vendicaturus patris ſui regium ius in omnes nationes terrę contra Satanam earum Tyrannum ſine titulo, eaſq; ſubiugaturus regno Dei, antequàm bellum ipſis inferret, pacis conditiones obtulerit; primùm quidem *populo Iudæorum*, qui quum non ita pridem peculiari quodam iure populus Dei fuiſſet, iam pariter defectionis & rebellionis reus eſſet. quapropter *Chriſtus* accepto à patre imperio *Iudæos ac Iudaizantes* primùm oblatis *conditionibus pacis* pro ſummâ ſuâ lenitate & manſuetudine ſingulas eorum ciuitates circumiens, *ipſe, & per Apoſtolos ſiue Legatos ſuos*, hortatus eſt vt reſipiſcerent & ad fidem redirent, horum *ſeptem annorum* quaſi *inducias* cum ijs pactus: intra quod tempus eorum multos ſe dedentes in Nouum Fœdus recepit.

Peracto verò ſeptennio illo induciarum quum multo maxima *Iudæorum* pars auerſaretur fœdus Euangelicum, *Chriſtus* ſtatim bellum illis indixit, cœpitq; percutere terram atq; gentem ipſorum *anathemate* quemadmodum locutus erat Malachias Prophetarum poſtremus in fine Prophetiæ ſuæ: tanquam emiſſo gladiatore ſanguino-

guinolento in equo rufo qui *tolleret pacem à terrâ*: & quidem præcipuè per *alas* detestationum desolatorias nimirùm *Romanas*.

Anno enim deinceps insequente, nempe A. 4044 in. 12 eu. anno 4 & postremo imperij *Caij* (vt intelligere licet è Philone Iudæo, & Iosepho atq; Tacito historicis) *Petronio Syriæ* præside qui Vitellio successit, cœperunt *turbæ in Iudæâ circa statuam Caij*, quam ille *Imperator Romanus* in *templo Dei Hierosolymitano* collocari iusserat. Quam quidem statuam nonnulli arbitrati sunt fuisse ipsam Abominationem desolationis quâ de locuti sunt Daniel Propheta, atq; ipse Christus Mat. 24 c. & Marc. 13 c. ac sanè apparet fuisse eius præludium, quod iuxta nostram chronologiam confestim simul ac completæ sunt Septuaginta illæ Hebdomades Danielis, Iudæis post Christi necem accidit *initium turbarum ac malorum* deinde indies crescentium atq; inundantium, donec tandem per illas Romanas legiones detestationis desolatorias in ipsos effusas prorsus obruti fuerint. Initij autem turbarum Iudæis propter statuam Caij Tacitus historicus ethnicus meminit duobus locis. quorum alter est libro historiarum 5. vbi, *Sub Tiberio*,

berio, inquit, *quies erat Iudæis. Dein iussi à Caio Cæsare effigiem eius locare in templo, arma potius sumpsere: quem motum Cæsaris mors diremit.* alter locus est annalium 12, sed mutilus: vbi ita legitur. *Sanè præbuerant Iudæi speciem motus ortâ seditione * postquam cognitâ cæde Caij haud obtemperatum esset. manebat metus nequis principum eadem imperitaret.* Hæc Tacitus homo ethnicus & atheus quasi interpretẽ nihilominùs agens, quanquam inscius, Diuinæ illius Prophetiæ. Porro autem eodem tempore quo hæc in Iudæâ fiebant, *Legati Iudæorũ Alexandrinorum* (in queis erat *Philo* ille doctissimus qui legationis huius historiam scripsit) *Romam* missi ad agendum coram *Imperatore* de immunitatibus, quas ab Aegypti regibus Ptolemæis olim concessas ipsis modò Alexandriæ ciues denegabant, insignem irrisionem ac ludificationem atq; contumeliam passi sunt. Atq; eodem etiam tempore, vti refert Iosephus, in *Seleuciâ Babyloniæ siue Mesopotamiæ* vrbe & *Ctesiphonte* cæsa sunt *Iudæorum* supra quinquaginta millia: reliquiq; è plerisq; illius prouinciæ ciuitatibus eiecti aut fugâ dilapsi. Ac sanè has *tres insignes Iudæorum calamitates in tribus orbis terrarum partibus* ad quartum & postre-

postremum annum *Caij imperatoris* (qui interfectus est ante diem 9 cal. Februarij circa mensem 11 naturalem huius anni,) refert quoq; Cæsar Baronius, eatenus quidem etiam ipse nobis conueniens.

Quocirca sicut nostra *Septuaginta Hebdomadum Danielis* supputatio ipsâ serie rerum gestarum & iustis interuallis euentorum quæ ijs præfiniebantur: ita *restitutio mortis & resurrectionis Christi (decima ratio)* ad annum 22 Tiberij, tanquam medium septuagesimæ ac postremæ ipsarum, etiam *his* (post confirmatum Euangelij fœdus multis Iudæorum, priore quidem illius hebdomadis dimidiâ per ipsum Christum versantem in terris, posteriore autem per Apostolos ipsius) *euestigiò consecutis initijs exitialium populo Iudaico calamitatum* confirmatur.

Porro autem eodem anno 4044 m. 12 eu. ac tertio conuersionis Sauli, simul atq; corpus ecclesiæ Iudæorum ad iustam staturam creuerat, in cæteros autem Deus iram suam effundere cœperat: *prima ecclesiæ Gentium semina* videntur esse iacta in *Cornelij Romani centurionis* familiâ, *Cæsareæ*, quã vrbem ab Herode magno ædificatam Romani fecerant primariam sedem Præsidis sui prouinciæ Iudææ: atq;

paulò

paulò pôst, allatâ nimirùm eius rei famâ Antiochiam ciuitatem primariam totius Orientis sub ditione Romanorum, inter *Hellenistas Antiochenses.*

Itaq; ad eandem ipsam tempestatem finitarum 70 Hebdomadum Danielis cœptæq; desolationis populi Iudaici, postquàm is regnum Christi renuerat, quod cæteri populi statim libentes acceperunt, omnino videtur spectare *prophetia illa Patriarchæ Israelis* Genes. 49 c. 10 v. *Non desistet tribus à Iudâ, neq; legislator à medio pedum eius, donec venerit filius illius fœminæ sine viri operâ natus, atq; huic præstita fuerit obedientia populorum.* quandoquidem sententia huius prophetiæ videatur esse perinde ac si dixisset Israel, Non desistet tribus Iudę atq; ei adhærentium esse populus, (sicut nimirùm destitura est tribus Ephraimi atq; adhærentium ei, Hos. 1 c. & sequent. ac Isai. 7 c.) neq; deficiet illi continua successio doctorum qui in cathedrâ Mosis sessuri atq; alij alios ad pedes suos educaturi atq; erudituri sint, deniq; non penitùs ipsi deficiet externa forma reipublicæ atq; ecclesiæ Dei; (nam desolatione Babylonicâ quę vix integrum seculum durauit, supererat Princeps populi Iudaici, supererat summus Sacerdos, supererant

erant Prophetæ:) donec venerit Anteceſſor ille è poſteris Iudę, & quidem virgine naſciturus, iſq; à populo ſuo repudiatus alios populos deinceps in ſui obſequium (ad redarguendam & reddendam inexcuſabilem nefariam huius rebellionem & contumaciam) adduxerit. Quod verò pleriq; omnes retulerint hanc prophetiã ad natiuitatem Chriſti quatenus contigit ſub regno Herodis Idumæi tanquam alienigenæ: neq; tempus ſatis conuenit, quia Herodes diu regnum adeptus erat antequàm naſceretur Chriſtus; neq; res, quoniam (nequid dicatur de pleriſque Perſarum aut Græcorum alijſq; Romanorum præſidibus Iudææ) Herodes non videtur planè excluſus fuiſſe iure adipiſcendi Magiſtratus in populo Dei, tanquam alienigena; vt apparet ex ipsâ lege Deut. 7 c. 15 v. vbi dicitur, E medio fratrum tuorum ſtatuito ſuper te regem, non poteris præficere tibi virum extraneum qui non frater tuus ſit; collatâ cum Deut. 23 c. 7 & 8 vv. Ne abominare Idumæum, nam frater tuus eſt, proſelytorum ex illius poſteris generatio tertia prodire poterit (ſcilicet Magiſtratum gerens) in congregatione Iehouæ. Certè enim Herodes Idumæus Iudæorum rex Romani imperatoris beneficiarius

ficiarius fuit proselytus habitans in Iudæâ, ibiq; natus, & quidem Antipatro patre atq; etiam auo proselyto: vti constat ex Iosepho historico.

Eódem verò spectat illud quod Eusebij Eccleſiaſt. hist. 5 l. 18 c. traditur *Christum Apostolis* suis dedisse mandatum vti ne discederent Hierosolymis ad disseminandum inter *Gentes* Euangelium donec sub *annum duodecimum*. etenim hinc apparet Euangelium annis ferè 11 primis prædicatum esse solis *Iudæis ac Iudaizantibus* nempe *Circumcisis*; ad *Gentes* verò præputiatas translatum esse demùm circa finem anni 11, exactâ videlicet *sesquihebdomade* annorum ab epochâ siue principio ipsius: ideoq; *semihebdomadem* Euangelij, solis Iudæis promulgati, *primam* ascribendam esse *Ioanni Baptistæ* præcursori Christi ab anno 15 Tiberij, *secundam* autem siue mediam ipsi *Christo* inter eos versanti à baptismate Ioannis, *tertiam* verò eo exciso *Apostolis* ipsius: ac proinde Christum (*vndecima ratio*) excisum esse demùm anno 22 Tiberij, vtpote etiam *quarto* ante communicatum *Gentibus* Euangeliũ anno 11 ab eius principio.

Cæterùm occiso Caio vt suprà dictum sub finem huius anni naturalis, postquàm impe-

imperauerat ferè 4 annos, in *imperio* ſucceſſit *Claudius* alter Druſi filius, Caij patruus: qui mox regno *Agrippæ Iudæam* prouinciã & quicquid pertinuerat ad regnum aui eius Herodis magni adiecit.

A. 4045 m. 13 eu. *Saulus* triennio poſt conuerſionem ſuam primò conuênit *Petrum Hieroſolymis.*

A. 4046 m. 14 eu. *Saulo* & *Barnabâ* docentibus euangelium *Antiochiæ*, diſcipuli ibi primùm nominati ſunt Chriſtiani.

A. 4047 m. 15 eu. mortuo Agrippâ poſt 7 annos regni, Claudius *Iudææ* præſidem conſtituit *Cuſpium Fadum.*

A. 4048 m. 16 eu. Imperator *Claudius Britanniam* ſubiugauit.

A. 4049 m. 17 eu. *Herodes rex Chalcidis* regionis finitimæ *Tyriæ* & *Sidoniæ*, frater Agrippæ obtinuit à Claudio ius in *templum Hieroſolymitanum* ac res ad ipſum ſpectantes, quo ibi conſtituere poſſet ſummos ſacerdotes pro libito, &c.

A. 4050 m. 18 eu. *Iudææ* præſes factus eſt *Tiberius Alexander.*

Circa a. 4051 m. 19 eu. ac initium tertij ſeptennii à baptizato Chriſto, inualuit *fames* maximè in *Iudeâ.*

A. 4052 m. 20 eu. anno Claudii 8,

quo

quo *Ventidius Cumanus Iudææ* præſes cõſtitutus eſt loco Tiberij Alexandri, *Saulusq;* & *Barnabas* Antiochenſium eleemoſynas attulerunt *Hieroſolyma*; rex *Herodes* paulo poſt cædem *Iacobi Apoſtoli* fratris Ioannis perpetratam Hieroſolymis atq; carcerationem *Petri* ab *Angelo* mox liberati, *Cæſareæ* ſubitò mirabili Dei iudicio à vermibus inteſtinis corroſus interiit. omnino enim in hunc conuenit hiſtoria illa Act. 12 c. qui pro eo iure quod in res ad *templum Hieroſolymitanum* ſpectantes obtinuerat, talia agere præſumpſerit. Quod autem pleriq; omnes hanc hiſtoriam referunt ad Agrippam regem præcedentem, quaſi Herodes eſſet nomen commune omnibus Herodis magni poſteris regibus, apparet non eſſe verum : quanquam eorum opinioni ſuffragatur Syriaca trãſlatio noui Teſtamenti; quæ item epiſtolam Iacobi fratris Domini falsò aſcribit Iacobo fratri Ioannis occiſo ab hoc Herode, nequid enim dicam de Philippo Tetrarchâ Herodis magni filio, certè Archelaus, & Agrippa iunior prioris filius (cui paulò poſthæc idem *regnum Chalcidis* vnà cum poteſtate ſiue præfecturâ *templi* item *Hieroſolymitani* conceſſit Claudius,) in authentico contextu noui Teſtamenti ap-

pellantur ſemper proprijs nominibus nullâ adiectione nominis communis Herodis: quare non veriſimile eſt hunc Herodem contrà appellatum eſſe tantummodò communi nomine nullâ adiectione proprij (ſiquidem id fuerit Agrippa) ad vitandam confuſionem. quum autem Ioſephus ferè idem (neq; enim prorſus idē) genus mortis aſcribat Agrippæ quod Diuus Lucas Herodi: facilè nimirùm errare potuit Ioſephus in fratribus, quorum vterqúe, vt videtur Cæſareæ, idq; intra breue tempus nempe annorum ferè 4 mortuus ſit, quando is adhuc puer erat. Verumenimuerò (*duodecima ratio*) etiam noſtris hunc quoq; errorem inter alios peperit illa mortis Chriſti retractio per quatuor annos; quo item detecto, contrariâ ex parte magis magiſq; confirmatur noſtra ſententia de vero anno mortis & reſurrectionis Chriſti.

A. 4053 m. 21 eu. *Saulus & Barnabas Antiochiâ* legati ad annunciandum euangelium *Gentibus* remotioribus, venerunt in *Cyprum*: vbi Saulus Sergium Paulum procōſulem Romanum Chriſto lucratus, nomen mutauit, vt pro *Saulo Paulus* deinceps appellatus ſit, inter Gentes.

A. 4054 m. 22 eu. videtur *Paulus* ve-

niſſe

nisse *Antiochiam Pisidiæ*; deinde autem *Iconium*, *Lystram*, *ac Derben*: demúmque sub hyemem reuersus *Antiochiam Syriæ*.

A. 4055 m. 23 eu. *anno* 14 *post conuersionem Pauli*, motâ *Antiochiæ* controuersiâ de *Gentilium Christianorum circumcisione* missi sunt *Paulus* (qui etiam secundùm reuelationem iuit) & *Barnabas* adiunctis comitibus ab ecclesiâ Antiochenâ *Hierosolyma* ad *Apostolos* & *Presbyteros* super hac quæstione. Habito igitur *concilio* (vbi *Paulus* & *Barnabas* edisserierunt quæ Deus ipsorum ministerio effecisset inter *Gentes*, tanquam *Hierosolymis* adhuc parùm nota,) decretum est non expedire neq; licere Christianis Gentilibus ceremonialem legis Mosaîcæ partem obseruare. Act. 15 c. Gal. 2. c. Quum verò ex actis Pauli descriptis à Lucâ satis constet (*decimationis ratio*) triennium ferè intercessisse inter hanc illius ascensionem & proximè præcedentem circa id tempus quo mortuus est Herodes ingraueſcente fame: hinc quoq; confirmatur conuersionem Pauli & martyrium Stephani vtique consecutum mortem & resurrectionem Christi intra biennium, neutiquàm contigisse ante tempus à nobis suprà assignatum, quemadmodum

pleriq; hactenus statuerunt. Neq; enim aliunde quàm à conuersione Pauli putandi sunt illi 14 anni, Gal. 2 c. vti post alios agnoscit etiam Cæsar Baronius. Videtur autem *Apostolus Petrus* post hæc demum tempora primùm venisse *Antiochiam*. eod. 2 c. ad Gal.

A. 4056 m. 24 eu. quo *Paulus* suscepit secundam peregrinationem, anno Claudij 12 desinente, motam seditionem inter *Iudæos* & *Samaritas*, interq; præsides illorum *Cumanum* & horum *Antonium Felicem*, compescuit iussu Imperatoris *Numidius Quadratus Syriæ* præses. Damnati autem Cumani prefecturam *Iudaïcam* obtinuit *Felix*. Tacitus 12 Annal. loco mutilo superiùs allegato. Hoc autem tempore atq; hâc demum occasione videtur *Claudius* iussisse *Iudæos* omnes *Româ* discedere, neutiquàm verò anno nono imperij sui, vt falsò quãtum inuenire possum assignato auctore Iosepho refert Orosius, & post eum Cæsar Baronius; nedum sexto vt Onuphrius statuit, eatenus quidem etiam ipse chronologus Pontificius parùm tribuens auctoritati Orosij.

A. 4057 m. 25 eu. videtur *Paulus* venisse *Philippos Macedoniæ*; ac tandem *Corinthum*.

A. 4058 m. 26 eu. (conueniente ferè initio quartæ ſeptimanæ annorum à baptiſmate ſiue manifeſtatione Chriſti, quâ multiplicata eſſe mala in *Iudæâ* conſtat etiam ex Ioſepho, tradente eam his temporibus mirum in modum *Latronibus & Sicarijs & Magis* ſeductoribus populi fuiſſe infeſtam,) mortuo Claudio Imperatori ante diem III id. Octobris ſub octauum menſem naturalem, poſtquàm imperauerat ferè 14 annos, ſucceſſit *Domitius Nero* eius priuignus & gener atq; adoptiuus filius, natus ex Agrippinâ fratris Germanici filiâ. Videtur autem ſub Claudio Cæſare vti refert Irenæus 1 l. 30 c. potius quàm ſub Nerone vti volunt Pontificij, *Simon Samaritanus ille Magus*, nec tam Hæreſiarcha vti vulgo cenſetur omnium primus, quàm *Apoſtata* impuriſſimus, *Romæ* mirificus habitus eſſe, ita vt à Claudio ſtatuâ honoratus ſit propter Magiam. Sed & *Menandrum* Simonis huius diſcipulum, itemq; magum, potiùs *Pſeudochriſtum*, quàm hæreticum fuiſſe intelligitur ex Euſebio, 3 l. Eccl. hiſt.

A. 4059 m. 27 eu. *Paulus Corintho* iter poſt conuerſionem quartum fecit *Hierolyma* per *Epheſum*: atq; mox redijt *Antiochiam*.

A. 4060 m. 28 eu. idem *Paulus* ſuſcepit tertiam peregrinationem ab *Antiochiâ*.

A. 4061 m. 29 eu. denuò venit *Epheſum*; vbi manſit biennio.

A. 4063 m. 31 eu. *Epheſo* venit iterùm in *Macedoniam*; & deinde *Corinthum*.

A. 4064 m. 32 eu. idem in Syriam ſecundò nauigaturus quum peruenisſet *Cretam* vſq; , propter ſtructas ſibi à Iudęis inſidias videtur tertiò reuerſus in *Macedoniam*. Eiuſdem anni ferè medio iniuit quintum ſeptennium à baptizato Chriſto.

A. 4065 m. 33 eu. anno *Neronis* ſeptimo ad finem tendente, *Porcius Feſtus* ſucceſſor miſſus eſt *Felici Iudææ* præſidi, anno præcedente mortem Pallantis fratris ſui; poſtquàm ferè decennio à Cumani condemnatione præfecturam Iudææ obtinuiſſet. Tamdiu enim Felicem præfuiſſe prouinciæ Iudææ apertè colligimus tum ex ipſo Paulo Apoſtolo, qui eum *multis annis Iudæorum Iudicem* fuiſſe aſſerit, Act. 24 c. tum ex Tacito, tum præcipuè ex *Ioſepho*, etenim hic præterquàm quod multò plura eius acta memorat à Neronis imperij initio, quàm duorum ſequentium præſidum vſque ad initium belli Iudaïci: perbreuem horum poſt diuturnam illius præ-

 fecturam

fecturam ſatis ex eo arguit in vitæ ſuæ hiſtoriâ, quòd quum ſignificet ſe paulò poſt finem præfecturæ Felicis *Romam* profectũ eſſe poſtquàm annum ætatis viceſimum ſextum attigerat, natus anno Caij Imperatoris primo, vt aduocatus eſſet quibuſdam popularibus ſuis quos Felix eò vinctos miſerat, ibiq; expeditè tranſegiſſe negotium per gratiam *Poppææ vxoris Neronis*, (quæ ſub finem anni 4 imperij Neronis ei primùm innotuit, & anno demùm 8, *Murio & Aſinio conſulibus* ipſi nupſit, auctore Tacito Annal. 14 l.) ſcribit ante reditum ſuum cœptam eſſe rebellionẽ Iudæorum: quorum patientia durauit & ipſo & Tacito teſtibus, vſq; ad Geſſium Florum tertium poſt Felicem Iudææ procuratorem.

Paulus verò *Apoſtolus* quum iam quintum à conuerſione aſcenſum feciſſet *Hieroſolyma*, ſub feſtum Pentecoſtes ac finem præfecturæ Felicis in templo *captus*; ſtatim inito *Feſti appellato Cæſare* miſſus eſt *Romam*, biennio poſtquàm profectionem eò primùm animo propoſitam habuiſſet, vt apparet è fine 24 c. Act. collato cum 19 c. 21 v. nam ne exiſtimem biennio eum Cæſareæ manſiſſe captiuum ante Feſti aduentum, quod nonnulli opinantur, tum nihil ab eo interea actum in liberâ cuſto-

diâ, tum accuſatorum ipſius furor flagrans adhuc initio Feſti, tum præcipuè ipſius ſecunda ad *Timotheum* epiſtola ſcripta *Româ* intra annum (vt ex poſtremo capite ipſius maximè apparet) poſt proximè præcedentem nauigationem è Macedoniâ in Iudæam, deſcriptam Act. 20 & 21 cc. prorſus diſſuadent. Inſtituta verò eſt nauigatio Romam circa menſem Iudæorum ſeptimum, vtpote in quem incidit ſolum tunc temporum ſolenne ipſorũ *Ieiunium*, finita autem deſinente hyeme: ita vt *Paulus Romam* peruenerit demùm circa finem eiuſdem anni naturalis, annis ferè 24 poſt conuerſionem ſuam, anno Neronis 8 quaſi medio. Act. 25 c. & ſeqq.

Quod igitur poſt alios Cæſar Baronius in Annalibus Pontificijs (*Decima quarta ratio* & poſtrema, ne in hoc breuiculo breuiario omnis æui, vno ſeculo deſcribendo infinitus ſim,) finem præfecturæ Felicis & appellationem Pauli ſtatuit ſolido quinquennio ante tempus à nobis aſſignatum, vtpote tantùm biennio exacto imperij Neronis, tanquam hoc innueret locus ille Act. 24 c. vlt. v. (quum nec ibi nec in præcedentibus vlla fiat Neronis mentio): atq; propterea *Ioſepho hiſtorico* exprobrat ignorantiam non modò rerum

de

de quibus ille & præſentibus & ad ſeipſum maximè pertinentibus ſcripſerit, ſed etiam ætatis ſuæ idq; ad ſextum annum, cui nihil addere potuerit niſi vt cenſeret ipſum ignoraſſe etiam nomen ſuum, quod nimis abſurdum eſt ac ſignum hominis redacti ad inopiam rationis : hinc demum ſatis manifeſtè redarguitur ipſius pariter ac vulgi error vel potius errorum cumulus, contraq; abundè confirmatur ſententia noſtra de temporibus nati & baptizati ſiue manifeſtati & crucifixi Chriſti : quandoquidem propter eorum anticipationem Baronius vnà cum vulgo (vt de Ieſuitico Suſlygæ epichiremate nihil dicam amplius) item quoad tempora martyrij Stephani & conuerſionis Pauli, adeoq; in vniuerſâ ferè hiſtoriâ Eccleſiaſticâ inde à cõceptione Chriſti ad hoc vſq; tempus quo Paulus Romam miſſus eſt, plus minus quatuor annorum anticipatorum interuallo à veritatis ſcopo abludat, quippe cognatis erroribus.

A. 4066 m. 34 eu. vt apparet, mortuo Feſto in *Iudæâ* ſecundo anno præfecturæ ſuæ ſucceſſit *Albinus*. Circa quod tempus & quidem paulò poſtquam Paulus Romam miſſus eſt, vt refert Euſebius 2 l. Eccleſ. hiſt. *Iacobus Apoſtolus* frater Domini

mini *Hierosolymis* martyrio coronatus est, anno ferè 24 suæ residentiæ ibi post discessum aliorum Apostolorum ad prædicandum Euangelium inter Gentes: velut innuit Epiphanius 78 hæresi.

A. 4067 m. 35 eu. *Paulus* secundum annum in vinculis egit Romæ: quo finiente finitur historia *Actorum* Apostolorum conscripta à *Lucâ Euangelistâ* eius comite, completis quater septenis annis à morte & resurrectione *Christi*.

A. 4068 m. 36 eu. anno quarto quintæ septimanæ à manifestatione Christi, imperij autem Neronis 10 ferè desinente, mẽse Iudaico & naturali circiter sexto, paucis diebus post *Romã incensam* vt vulgo creditum est iussu ipsius *Neronis*, cœpta est eiusdem iussu publicè exerceri atrocissima *persecutio Christianorum*, siue immanis sæuitia & crudelitas in eorum corpora & fortunas, atq; famam, tanquam ipsi vrbem incenderant. Igitur eodem anno, ferè statim initio persecutionis, vt pleriq; iuxta Eusebium tradiderunt, (à quibus eatenus Baronius sine causâ videtur dissentire,) *Apostoli Paulus atq; Petrus Romæ* tunc agentes *martyrio* coronati sunt (cum verisimile sit eos in primis correptos esse), duobus annis & dimidio postquam Pau-

lus,

lus, verùm haud amplius dimidio (vt ex Pauli epistolis Româ illo biennio scriptis colligere licet) postquàm Petrus Romam aduenerant, iuxta nostram chronologiam. Ex quâ proinde apparet esse falsa quæ tanquam vera ac certa recepta sunt apud Pontificios de actis Pauli in Hispaniâ vel alijs orbis partibus per 5 vel 6 annos post exactum biennium captiuitatis eius Romæ: perinde ac de Petri episcopatu anteà & intereà per annos 25 Romæ gesto; quanquam huic fundamento inniti Primatum Pontificis Romani vltrò fatentur ipsi.

A. 4069 m. 37 eu. Albino *Iudææ* præsidi successit *Gessius Florus*, quo demùm tempore *Templũ Hierosolymitanum* quod scilicet *Herodes magnus* ante 78 annos ædificare cœperat, *absolutum est*, vt refert Iosephus Ant. 20 l. 17 c.

A. 4070 m. 38 eu. anno imperij Neronis 12, regni Agrippæ iunioris 17, ac 2 præfecturæ Flori, exactis annis 30 iuxta nostram chronologiam post mortem ac resurrectionem *Christi*, mense Artemisio siue Iiar id est secundo Iudaico, *Iudæi à Romano imperio defecerunt*: vnde exarsit *bellum* Romanorum contra Iudæos, quod istis primò haud admodum improsperè cedens

cedens demum prorsus exitiale fuit. Circa initium verò mensis 8 eiusdem anni *exercitus Cestij Galli Syriæ* præsidis, quum obsessâ vrbe *Hierosolymorum* sexto die occupasset *Aquilonarem portam templi*, iamq; proximè abesset ab eo vt vrbem totam caperet; tunc autem subitò ab ipso, vti scribit Iosephus, præter omnem rationem absurdissimè damnatâ spe capiendæ vrbis, ab oppugnatione reuocaretur: mox à seditiosis qui modò attoniti cœperant diffugere, animos resumentibus fugatus & occidione cæsus est. *quo tempore*, inquit idem Iosephus, scilicet dum seditiosorum turba occupata esset in persequendo Romanum exercitum, *multi Iudæorum occasione vsi ex eâdem vrbe Hierosolymitanâ tanquam è naui pessum iturâ dilapsi sunt.* Vnde apparet sanè ad hanc Hierosolymorum obsessionem atq; templi siue loci sancti occupationem ab *alâ Romanorum* (quorum vexillum militare erat *aquila ales*) illâ *alâ detestationum* præcipuè spectare id quod *Christus* secundùm Prophetiam *Danielis*, signum suis arripiendæ *fugæ è Iudæâ* ac præsertim *Hierosolymis* iamiam deuastandis præfiniuit.

A. 4071 m. 39 eu. mortuo Cestio Gallo, *bellum Iudaicum* Neronis iussu cæpes-

apessiuit *Flauius Vespasianus.*

A. 4072 m. 40 cu. conueniente ferè initio sextæ septimanæ annorum à manifestatione Messiæ, quâ *Deus iudicia* quorum superiore septimanâ à familiâ suâ scilicet Christianis initium fecerat, demùm grauissima in totum *terrarum orbem*, præcipuè verò in *Iudæos Christi sui proditores atq; parricidas* exercuit: ipsius *Romani imperij status* adductus est in summum discrimen, adeo vt tempus ei supremum adesse crederetur: adacto ad sui ipsius necem primùm *Nerone Imperatore* postremo ex adoptiuâ familiâ *Cæsarum*, ante diem III idus Iunij circa quartum mensem naturalẽ, postquàm imperauerat itẽ ferè 14 annos; quũ ab eo defeciſſet *Iulius Vindex Galliæ* præses, mox quoq; interfectus. Sed & *Sergius Galba* præses *Hispaniæ* qui post Neronis necem (primus extra Italiã) Imperator salutatus erat, post occisos qui item nouas res moliebantur, *Romæ Nymphidium Sabinum* præfectum prætorij, in *Germaniâ Fonteium Capitonem*, in *Africâ Clodium Macrum* legatos, demùm ipse cum adoptiuo filio *Pisone*, eodem anno naturali circa mensem 11, vtpote ante diem 17 cal. Februarij occisus est, postquàm imperauerat septimestri: Imperatore

peratore appellato ab exercitu prætoriano *Othone Syluio Lusitaniæ* præside tunc Romæ agente.

A. 4073 m. 41 cu. *Otho* quoq; rerum desperatione se interfecit ante diem 12 calend. Maij, postquam imperauerat trimestri, bello superatus à factione *Vitellij*, quem Romanæ legiones in *Germaniâ* Imperatorem appellauerant. Qui etiam ipse eodem anno ante diem 9 calendas Ianuarij *Romæ* (quo tempore *Capitolium* quoq; conflagrauit) debellatus captus atq; occisus est, post octimestre imperij, per legatos *Vespasiani*. Etenim hunc demùm exercitus Romani in *Iudeâ* & *Ægypto* & *Syriâ* creauerant Imperatorem: primùm *Alexandriæ Tiberio Alexandro* antehac Iudææ nunc Aegypti præfecto (quum Iudæus Alexandrinus esset genere, sed religioni Iudaicæ renunciasset) legiones adigente in illius verba calendis Iulij; qui primus ipsius principatus dies in posterum obseruatus est, circa mensem naturalem quintum.

Per eadem verò tempora aliæ quoq; nationes contra *Romanum imperium* tanquam collabans se commouere cœperunt: vt *Sarmatæ*, ac *Daci*, ac *Ponti* accolæ, alijq;; præcipuè verò *Galli* & *Germani*, rati

jam

iam tum ſibi imperium portendi. De quibus quidem temporibus *Cornelius Tacitus Romanus* hiſtoriæ ſuæ proœmio ſcribens in hæc verba, inquit, *nunquam atrocioribus Populi Romani cladibus magiſue iuſtis iudicijs approbatum eſt, non eſſe curæ dijs ſecuritatem noſtram eſſe vltionẽ.* Erant nimirùm (quod ignorabat Tacitus profanus & impius vtcunq; ſolers hiſtoricus) hi *dies vltionis.* ac certe apparet nunquam anteà adeo horribiles motus in orbe terrarum extitiſſe.

: Verùm *Flauius Veſpaſianus* Imperator omnium primus trans mare creatus, *propè afflictam* (vt Suetonij verbis vtar) *nutantemq; rem Romanam mox reſtituit ac ſtabilinit, deinde & ornauit*; grauiſſimumq; vulnus inflictũ quaſi capiti Romani imperij, excisâ Cæſarum familiâ, ſanauit : ſed & miraculoſis quibuſdam ſanationibus ſtatim ferè initio imperij (vti refert etiam Tacitus) Alexandriæ oſtentatis ingentem ſui admirationem excitauit: adeoq; ipſi ab Ethnicis accommodata eſt illa Danielis Prophetia, tunc toto Oriente celeberrima, de Chriſti veri domini orbis terrarum exortu ex Iudæâ illo ſeculo; auctore ſcilicet *Flauio Ioſepho Iudæo hiſtorico*, primùm

duce

duce belli contra ipsum, deinde autem captiuo moxq; adulatore ac demùm initio imperij liberto eiusdem: reuolutis ad autumnum siue medium eiusdem anni 4073 m. 41 eu. ac primum imperij ipsius, solidis 30 annis à fine 70 Hebdomadum Danielis iuxta nostram chronologiam.

A. 4074 m. 42 eu. quasi ineunte *Titu* Vespasiani Imperatoris filius, à patre *Alexandriâ* iter mari *Romam* instituente delegatus ad conficiendum bellum *Iudaicum*, cœpit *Hierosolyma* cingere exitiali obsidione, ipso *festo Paschatis Iudæorum*, nempe die decimoquarto primi mensis Iudaici: quando videlicet ferè tota Iudæorũ multitudo quæ bello adhuc reliqua erat in Iudæâ, eò confluxerat; quam Tacitus scribit fuisse sexcenta millia hominum. Eodemq; anno, die 8 mensis Loi siue Ab Iudaici 5, *Templum Dei Hierosolymis* ab exercitu Titi occupatum fuit; ac biduo posteà incensum, nempe 10 die eiusdem mensis, quo die mensis naturalis item 5 à Chaldæis olim exustum fuerat. Atq; intra mensem deinceps, nempe die 7 mensis Gorpiæi siue Elul tota *vrbs Hierosolymorum* post quinquemestrem ferè obsidionem capta est, ac postridie eius diei item incensa & deleta.

Interea

Interea verò dum illa olim vrbs ac templum Dei funditùs euersa sunt atq; penitus deflagrarunt, ab Imperatore Populoq; Romano in *Romana vrbis* ac præsertim *Capitolij* templi Iouis summi Ethnicorum Idoli, illius pridem huius nuper incensi restauratione strenuè & alacerrimè laboratum est.

A. 4075 m. 43 eu. exactis sex septimanis annorum ab huius epochâ, *Titus* initio veris nauigationem instituit in *Italiam*. Quò postquam peruenerat, ipse cum patre simul, quemadmodum nunquam anteà *Romæ* factum erat, *clarissimum triumphum de Iudeâ captâ & excisis Hierosolymis* ingente Populi Romani lætitiâ ac festiuitate egit, calendis Iulijs: quo die videtur etiam Titus à patre concessam accepisse Tribunitiam siue supremam potestatem: eodem videlicet die quo ante biennium patèr primùm Imperator appellatus erat. Eodemq; tempore *Vespasianus* templum *Iani* clausit, & nouum *Pacis* inchoauit.

Posthæc autem idem Imperator *Vespasianus* multis alijs regionibus Romano imperio confœderatis (in quibus insigne fuit regnum *Antiochi Comageni Seleuci* stirpe oriundi) in prouinciarum formam red-

actis libertatem ademit, insigniaq; auaritiæ & rapacitatis inexplebilis exempla per omnes edidit, vt locupletes testes sunt Tacitus & Suetonius: præcipuè verò *Iudæis Dauidis* tribulibus, & *Iudaizantibus* (cuiates eo seculo ab Ethnicis habiti sunt *Christiani* omnino omnes, vtpote Iudæâ primùm oriundi & Christo Dauide prognato addicti) vbicunq; terrarum degentibus infestus esse perrexit.

A. 4076 m. 44 eu. *Lucilius Bassus*, præfectus conficiẽdis reliquijs belli in *Iudeâ*, Herodium & Machæruntem castella expugnauit.

A. 4077 m. 45 eu. templum *Heliopolitanum Iudæorum Ægyptiensium* (post interfectos ipsorum quoq; plurimos) ab Oniâ ante annos ferme 231 conditum, *Vespasiani* iussu clausum siue profanatum & ad alios vsus conuersum est.

A. 4078 m. 46 eu. quo completæ sunt sex septimanæ annorum à manifestatione siue baptizatione *Christi* iuxta chronologiam nostram, expugnato demùm à *Flauio Sylua*, qui mortuo Lucilio Basso in præfecturâ *Iudææ* successerat, solo tunc reliquo in eâ propugnaculo munitissimo Massadâ, die 15 Xanthici siue Nisan primi mensis Iudaici, consummata tandem est

desolatio

desolatio Iudææ, vtpote vniuersæ omnino deuastatæ atq; statim diuenditę. Eodemq; tempore iussi sunt reliqui superstites *Iudei* per orbem terrarum singuli quotannis conferre vectigal binarũ drachmarum in *Capitolium Romanum*, quemadmodum anteà soliti erant in Templum Hierosolymitanum. Sed & eodem anno à *Vespasiano* patre (transactis quinque annis imperij ipsius) *Titoq;* filio Censoribus *Romæ lustrum* conditum est, numero 75, atq; omnium postremum, quippe quæ inde condi desierint. Ac deniq; circa finem eiusdem anni naturalis aut initium sequentis, idem Imperator *Vespasianus* se sextùm ac Tito quartùm consulibus, iam omninò restituto ac deintegrò firmissimè stabilito operâ suâ *Romano* imperio, templum augustissimum à se item exædificatum, & exquisitissimis antiquitatis operibus, picturisque ac statuis, nominatim verò *Templi Hierosolymitani aureis instrumentis* exornatum, dedicauit *Romæ Æternæ Paci*. Ioseph. vlt. l. Bel. Iud. Quasi nimirùm *Vespasiano Romani Imperij* restauratori conueniret etiam illud quod Isaias propheta prædixerat de *Domino Christo*, 9 c. *Amplitudini illius principatus & Paci nullus erit finis* &c. &, *Vocabitur nomen eius, Admirabilis, Ro-*

bustissimus, Pater Æternitatis, Princeps Pacis.

Eodem autem tempore videtur aliquãtum pacis ac respirationis etiam afflictis *Iudæis* ac *Iudaïzantibus* nempe *Christianis* concessum esse, intermissâ eorum persecutione vsque ad imperium Domitiani saltem per septennium.

A. 4082 m. 50 eu. *lues* ingens *Romæ* fuit.

A. 4083 m. 51 eu. mortuo *Vespasiano Imperatori* die 25 Iunij, postquàm imperauerat ferè 10 annos, successit filius *Titus*. quo anno initio Nouembris flammæ cum horrendo tonitru ac terræmotu, atq; quodam quasi *Tubarum clangore*, è *Vesuuio Campaniæ* in *Italiâ* monte eruperunt.

A. 4084 m. 52 eu. rursus ingens *incendium Romæ* contigit.

A. 4085 m. 53 eu. exactis septem septimanis annorum à manifestato *Christo*, ac bissepties septenis ab initio regni Nabuchadnezaris, Olympiade 215 nuper inceptâ extincto *Tito Imperatori Romano* die 13 Septembris, postquàm imperauerat 2 annos, successit frater *Domitianus*, alter *Nero* dictus; qui persecutionem *Christianorum* tanquam *Iudaïzantium* repetiuit.

A.

A. 4089 m. 57 eu. circa initium Olympiadis 216, *Domitianus* exacto imperij quadriennio, (menſe Septembre vt videtur) ſub ſuum XII & Dolabellæ conſulatũ, inſtituit *Romæ Agonem Capitolinum* quinquennalem Olympico reſpõdentem: qui admodùm celebris fuit inde vſque ad Indictionũ Cõſtantinianarum epocham. Interuenerunt autem ab imperio Auguſti iuxta Aegyptios poſt Antonij & Cleopatræ neces eouſq; 114 anni, teſte Clemente Alex. 1 Strom.

A. 4100 m. 68 eu. interfecto *Domitiano* die 18 Septembris, anno imperij ſui 15 completo inſuperq; die 5, (vt intelligere licet ex Suetonio etiam in vitâ Veſpaſiani patris vlt. c. vbi clarè ſignificat ipſum & duos filios imperaſſe omnino totidem annos quot Claudium & Neronem ſimul, id eſt aliquanto pluſquam 27; neutiquàm verò inchoato tantùm anno 15 vt arbitratus eſt Scaliger,) ſucceſſit *Cocceius Nerua*. Animaduertendum autem eſt Cæſarem Baronium auctorem Annalium Pontificiorum turbaſſe rationem Faſtorum conſularium, à quibus plurimùm dependet ſeries horum temporum, ab initio imperij Veſpaſiani vſq; ad Seueri imperium, quatenus non diſtinguens inter conſularia ornamenta

namenta & cõsulatus honorarios siue suffectos, nullâ suffecti consulatus ratione habitâ consulatum Vespasiani ordinarium incidentem in primum eius imperij annum appellat primum, contra diserta Taciti verba 4 l. histor. similiterq; Domitiani, &c.

A. 4101 m. 69. eu. *Nerua* exacto ad eundem diem 18 Septembris vno anno in imperio, moderamen eius concessit *Traiano* (*Italicâ Hispaniæ* ciuitate oriundo primoq; externi generis imperium *Romanum* adepto) adoptato in filium, paulò plus quadrimestri ante mortem suam die 27 Ianuarij.

A. 4107 m. 75 eu. *Traianus Daciam* debellatam prouinciam *Romanorum* fecit.

A. 4118 m. 86 eu. *Antiochia* horribili terræmotu concussa est: circa quod tempus *Traianus Armeniam* maiorem, *Assyriam*, & *Mesopotamiam* prouincias fecit, *Arabiâq;* potitus est.

Deinde autem *Iudæi* in *Ægypto* & *Libyâ* & *Cyrenis*, *Cyproq;* insulâ, ac *Mesopotamiâ*, posteaq; in *Iudeâ* & *Syriâ*, magnas turbas excitarunt per viginti ferè annos.

A. 4120 m. 88 eu. mortuo *Traiano* in Oriente die 10 Augusti, postquàm imperauerat propè 19 annos à Neruæ adoptione,

ne, at tantùm 18 & paulò plus dimidio ab eius morte, succeſſit *Ælius Adrianus*: vt è *Ptolemæi Aſtronomi* qui hoc ſeculo claruit obſeruationibus conſtat. quanquam pleriq; chronologi, præſertim recentiores Traiano aſcribunt annos 19 & dimidium à morte Neruæ. verùm apparet nummum ab Onuphrio prolatum in quo ſignatus fuerit eius annus Tribunitiæ poteſtatis XX, niſi obliterata fuerit media vnitas XIX, aut niſi fuerit adulterinus, cuſum fuiſſe alicubi in Occidente circa initium anni 20, antequam fama mortis Traiani eouſq; delata eſſet: ac proinde vel poſtremum par conſulum ſcilicet Nigrum & Apronianum, vel octauum antea, nempe Criſpinum & Orfitum, in quibuſdam Faſtis omiſſum, fuiſſe ſuffectum non ordinarium. Cæterùm *Adrianus* prouincias à Traiano factas trans *Euphratem*, *Armeniam* maiorem, *Aſſyriam*, & *Meſopotamiam Parthis* reliquit.

A. 4137 m. 105 eu. biſſepties ſepteno anno à reſurrectione Chriſti, *Iudæi* iterum debellati & è terrâ ſuâ penitus extirpati ſunt, duce ſuo *Barcozbâ* deprehenſo qui *Barchochebas* haberi voluerat; quum ex vrbe *Hieroſolymorum* Adrianus feciſſet *Æliam Capitolinam*. Eodem verò tempo-

re *Basilides* Hæresiarcha *Alexandriæ* extitit auctor hæreseos *Gnosticorum*.

A. 4141 m. 109 eu. mortuo *Adriano* die 10 Iulij, postquam imperauerat ferè 21 a. imperare cœpit *Antoninus Pius*. Sub hoc claruit *Iustinus* Philosophus & *Martyr* Christianus; hæresiarchæ autem extiterunt *Valentinus* & *Cerdo* magister *Marcionis*.

A. 4164 m. 132 eu. quasi ineunte, mortuo Antonino die 7 Martij, a. 23 imperij, simul imperare cœperunt *Marcus Aurelius Philosophus* 19 annos, & *Lucius Ælius Verus* ad annum 9. Sub his *Polycarpus Smyrnæ* episcopus, clarissimus Christi martyr morte mulctatus est: ac deinde hæresis Pseudoprophetica siue Pseudoparacletica, *Cataphrygæ*, cepit exordium, auctore *Montano*.

A. 4183 m. 151 eu. item quasi ineunte, mortuo *M. Aurelio* die 17 Martij, ferè 11 annis post mortem *Veri*, ac 3 & trimestri ferè post communicatum imperium filio *Commodo*, hic solus idem obtinuit. Sub hoc claruit *Ireneus Lugdunensis* episcopus.

A. 4195 m. 163 eu. interfecto *Commodo* nocte consecutâ 31 diem Decembris ipso fine anni Romani ac sui consulatus

VII, a. 13 imperij, imperare cœpit *Helvius Pertinax* qui proximè cum eo consul fuerat,

A. 4196 m. 164 eu. interfecto *Pertinace* mense 3 imperij, die 28 Martij, Imperator appellatus est *Didius Iulianus.*

Eodem anno *Septimius Seuerus* ab exercitu in *Pannoniâ* appellatus Imperator idibus Augusti, *Romam* peruênit circa mensem Nouembrem, aliquanto post cædem *Iuliani*, qui à cæde Pertinacis imperauit 7 menses: ac tricesimo die iterùm discedens inde contra *Pescennium Nigrum* appellatum Imperatorem in *Syria*, & ipsum occisum hinc intra biennium, Aëtium & Probum ascitos sibi generos renunciauit consules, nempe in annum proximè insequentem vt ex Spartiano & Eutropio colligimus. vnde apparet hos consules tanquam ordinarios referendos esse in Fastos anno primo imperij Seueri, vice illorum redundantium imperio Traiani; quâ ratione interuenerint solidi anni 100 inter Antonini Pij Imperatoris secũdum & Brutij Præsentis consulatum atq; Vlpij & Pontiani, iuxta sententiam Censorini, qui alioqui fuerint tantùm 99; itemq; 220 inter Augusti ludos *Seculares*, ac *Seueri* celebratos anno 12 imperij sui,

Chilone

Chilone & Libone consulibus, & quidem anno Antiocheno 252 iuxta Chronicon Eusebij: ac proinde Seuerum imperasse plusquam 18 annos iuxta Eutropium, quasi anno diutiùs quàm communis hodiè fert opinio. Verùm cum Seuero, primo quinquennio, *Albinus Britanniæ* præses, *Cæsaris* titulo, imperauit. Hoc autem tempore *Romæ* episcopus fuit *Victor*: qui malè feriatus Christi ecclesias diuisisse fertur ob paululùm diuersam temporis obseruationem in Paschate. Eodem tempore claruit *Clemens Alexandrinæ* ecclesiæ presbyter: & deinde *Tertullianus* Carthaginiensis. Cæterùm *Seuerus Arabum* interiorum regiones *Romanam* prouinciam fecit: idemq; quosdam in *Iudeâ* motus compescuit.

A. 4214 m. 182 eu. mortuo *Seuero* in *Britanniâ* circa initium Februarij, imperare cœperunt eius filij *Bassianus Antoninus Caracallus*, & *Geta* qui post annum interfectus est.

A. 4221 m. 189 eu. interfecto *Caracallo* die 8 Aprilis, postquàm imperauerat 6 annos, imperium arripuit *Opelius Macrinus*.

A. 4222 m. 190 eu. interfecto *Macrino* die 6 Iunij post 1 a. imperij, & paucis

diebus

diebus pòst, eius filio *Diadumeno*, imperare cœpit *Antoninus Heliogabalus*.

A. 4226 m. 194 eu. quasi ineunte, interfecto *Heliogabalo* die 6 Martij, a. 4 imperij, imperare cœpit Seuerus *Alexander Mammæa* filius. Huius initio imperij *Hippolytus* dictus *Portuensis* episcopus, octaeteridis Paschalis epocham statuit. Eodemq; tempore *Origines Alexandrinus* magnâ famâ fuit.

A. 4230 m. 198 eu. transactis 548 annis à morte Alexandri magni, ac 4 imperij Seueri Alexandri, occiso *Artabano* postremo regum *Arsacidarum*, ab *Artaxerxe* rege *Persarum* regnum *Parthorum* ad *Persas* translatum est.

A. 4239 m. 207 eu. quasi ineunte, interfecto *Alexandro Mammæa* die 18 Martij postquàm imperauerat 13 a. imperium obtinuit *Iulius Maximinus*. Contra quem deinde intra annum imperium sumpserunt duo *Gordiani* pater & filius. Iis autem deinde post annum occisis, Imperatores à Senatu Romano appellati sunt *Cœlius Balbinus & Clodius Maximus Pupienus*.

A. 4241 m. 209 eu. Perpetuo & Corneliano consulibus occiso *Maximino* tertio anno imperij sui paulò antè incepto;

atq;

atq; deinde post tres vel quatuor summùm menses interfectis quoq; *Balbino* & *Pupieno* intra 1 a. imperij, ludis *Agonalibus* siue *Capitolinis* circa finem æstatis vt colligimus ex Herodiano, sub consulatum Vlpij & Pontiani (qui sequente Ianuario ineuns conuênit pleràq; ex parte primo anno vertenti eiusdem Agonis quinquennalis vndequadragesimi, iuxta nostram interpretationem sententiæ *Censorini*, qui eodem anno scripsit eruditum suum libellum de Die Natali,) imperare cœpit Gordiani senioris alter filius *Antonius Gordianus* iunior, saltem aliquot mensibus priùs quàm iuxta fastos aliorum qui sequentibus demùm consulibus imperij eius initium statuunt.

A. 4247 m. 215 eu. Ariano & Papo consulibus vt quidem nos colligimus e Iulio Capitolino, neutiquam verò vt pleriq; alij statuunt sequentibus, occiso *Gordiano* in reditu à bello *Persico* circa autumni tempestatem, postquàm imperauerat pauxillò amplius sexennio, imperium obtinuit *Iulius Philippus*.

A. 4253 m. 221 eu. occiso *Philippo* imperatore cum filio, postquàm imperauerat aliquanto plusquàm 5 annos iuxta plerosq; veterum, atq; attigerat imperio sep-

timi

timi anni consules ordinarios, nempe Aemilianum & Aquilinum conuenientes anno Domini vulgari 249, imperare cœpit *Decius*. Quanquam Chronologi Pontificij Philippi cædem ac Decij initium statuunt, Onuphrius quidem anno Domini vulgari 250, Baronius autem in Annalibus Pontificijs anno D. 253: qui nimirùm ingens auctor, Consulum & Imperatorum Romanorum annos statuit à conceptu Christi ad exitum Traiani semper biennio, inde autem ad initium Seueri triennio, deinde verò ad Gordiani initium rursus biennio; at Gordiani & Philippi annos iterùm triennio; iam verò Decij solido quadriennio, ac deniq; sequentium imperatorum hinc vsq; ad Diocletianum, pariter cõsulum perturbatâ serie, plerumqúe triennio seriùs quàm oportebat: vnde Annales ipsius infinitis erroribus obnoxios esse necesse est: quorum causas atq; modos, simul adhibito examine Inscriptionis & Nummorum, quorum prætextu præsertim à Philippo ad Valerianum & Gallienum chronologiam atq; historiam perturbat, in latiore campo si Deus voluerit latiùs explicabimus. in his verò angustijs satis sit chronologiam veterem & veram deinceps simplice filo pertexere.

A. 4255 m. 223 eu. extincto *Decio* cum filio, ſuo tertio & ipſius filij Decij conſulatu, poſtquàm imperauerat circiter biennium (non tantùm annum ac trimeſtre) à Philippi cæde, imperium obtinuit *Gallus* cum *Voluſiano* filio. Eorum imperij initio graſſata eſt lues grauiſſima in pleriſque Romani imperij prouincijs. quo tempore claruit *Cyprianus* epiſcopus *Carthaginienſis*, & *Cornelius Romanus*, & *Dionyſius Alexandrinus*. deinde autem *Nouatianus* hæreſiarcha extitit.

A. 4257 m. 225 eu. poſt interfectos *Gallum* & *Voluſianum* huius ſecundo & Valerij Maximi conſulatu, vixdum exacto imperij biennio, quadrimeſtri ferè ante cædem *Æmiliani*, qui etiam ſub idē tempus appellatus erat imperator, imperare cœpit *Valerianus* cum filio *Gallieno*. At ille Annalium auctor contra fidem conſentientium hiſtoricorum prolatis in medium quibuſdam nummis (An verò ignorans quid diſtent æra lupinis?) Gallo & Voluſiano quadriennium imperij, ac ferè triennium cum Valeriano & Gallieno commune aſtruere conatur.

A. 4264 m. 232 eu. *Valerianus* Imperator commotâ in *Chriſtianos* perſecutione, mox à *Sapore Perſarum* rege in prœlio

lio captus quasi a. 7 imperij, seruitute miserabili consenuit. Deinde autem pleraſq; prouincias *Romani* imperij hinc *Persæ* & *Parthi*, inde *Germani*, *Alani*, *Gothi*, *Quadi*, & *Sarmatæ* depopulati sunt; ac mox *Tyranni* occuparunt. Tum verò *Paulus Samosatenus* ex *Antiochiæ* episcopo hæreseos *Artemonis* propugnator extitit.

A. 4272 m. 240 eu. quasi ineunte, sub mensem Aprilem interfecto *Gallieno* annis 15 solidis (non tantum ferè 13) post cædem Galli & Volusiani, imperare cœpit *Aurelius Claudius*.

A. 4273 m. 241 eu. propè definente, mortuo *Claudio* mense Februario, postquàm imperauerat ferè biennium, imperare cœpit *Aurelianus*: pauloq; pòst interfectus est *Quintillus* Claudij frater qui imperium post mortem fratris occupare conatus erat. *Aurelianus* verò *Romanam* ditionem (*Daciâ* tamen trans Danubium prouinciâ factâ à Traiano habitâ pro derelictâ) ad pristinos fines restituit: oppressis etiam Tyrannis, ac triumphatis *Tetrico* qui *Gallias*, & *Zenobiâ Odenati* viduâ quæ post maritum *Orientem* atq; *Mesopotamiam* ad Ctesiphontem vsque receptam obtinuerat.

A. 4279 m. 247 eu. occiso *Aureliano* præ-

præcedēte menſe Ianuario, ſuo III & Marcellini conſulatu, exacto imperij proximè quinquennio (nedum ſeptennio iuxta annales Baronij) poſt quinque vel ſex menſium interregnum imperare cœpit *Tacitus*.

Eodem autem anno extincto *Tacito* paulo poſt initium conſulatus ſui II & Aemiliani, ac circiter ſemeſtre imperij, *Probus* Senatuſconſulto Imperator appellatus; ac deinde *Florianus* Taciti frater affectati imperij menſe ſecundo interfectus eſt.

A. 4281 m. 249 eu; quaſi ineunte, anno *ſecundo imperij Probi* (nempè *ſuo primo & Paulini conſulatu* perperàm omiſſo ab Onuphrio, ac in biennium antecedens ad protrahendum Aureliani ac decurtandum Probi imperium luxato à Baronio,) fuit, inquit Euſebius in Chronico, iuxta Antiochenos annus 325 (ſcilicet quaſi medius), iuxta Loadicenos autem 324 (nimirùm propè completus). Itaq; idem annus conuenit vulgari anno Domini 277, non 278 vt Onuphrius putauit, nedum 280 vt Baronius: cuius ſicut hinc liquidò redarguitur chronologia, ita etiam confirmatur ſententia noſtra de duarum illarum epocharum ratione, Antiochenorum

rum quidem propter Pharſalicam Iulij Cæſaris victoriam menſe Septembri, Laodicenorum autem propter ordinatam ab eo Syriam ſequente Maio ſiue Artemiſio poſt octimeſtre, contra Scaligerum, qui Antiochenorum è corruptis faſtis Græcis ſtatuit eodem Maio quanquam non ob eandem rationem, Laodicenorum autem nullâ ratione integro anno pòſt. Verùm illo anno imperij atq; conſulatu *Probi*, cui harum & compluriũ aliarum epocharum annos accommodauit Euſebius, inſana hæreſis *Manichæorum Manete Persâ* auctore exorta eſt.

A. 4286 m. 254 eu. interfecto *Probo* ſuo V& Victorini cõſulatu poſtquã imperauerat annos 6 ac menſes 4 iuxta Euſebium in Chronico pariter ac Eccleſiaſticâ hiſtoriâ, atq; Eutropium, (quanquam Onuphrius tantùm 5, Baronius autem verbo 5 reipſa vix 4 ei aſcribit,) imperare cœpit *Carus*. Is fuſis *Perſis Conchan* ſiue *Seleuciam & Cteſiphontem* cepit.

A. 4287 m. 255 eu. *Caro* cum caſtra ſupra *Tigridem* poſuiſſet, circa initium ſecundi anni imperij extincto, imperare cœperunt eius filij *Carinus* & *Numerianus*.

A. 4288 m. 256 eu. interfecto *Numeriano*

riano ſuo & Carini conſulatu ſecũdo, paulo ampliùs biennio ab initio imperij Cari iuxta Euſebium & alios, (tametſi Baronius vix vnum annum integrum concedit Caro & duobus filijs inter Probum & Diocletianum,) imperare cœpit *Diocletianus*, anno Domini vulgari 284, circa initium anni Romani in Aegypto & Oriente nempe menſibus Thoth Auguſtano & Septembri. Quo tempore tanquam initio imperij Diocletiani *Anatolius* patriâ *Alexandrinus*, poſteà epiſcopus Laodiceæ in Syriâ, *Emendecaeteridis Paſchalis* epocham fixit. *Carinus* verò quaſi altero inde anno occiſus eſt.

A. 4290 m. 258 eu. quum *Bacaudæ Gallias* turbarent, *Diocletianus* Maximo II & Aquilino conſulibus imperij ſocium aſſumpſit *Maximianum*, ſibi *Iouij* illi *Herculij* cognomen attribuens. Hinc autẽ poſt quatuor ferè annos, quum etiam *Britannias Carauſius* ſumptâ purpurâ occuparet, & *Achilleus Ægyptum* obtineret, & *Quinquegentiani Africam* infeſtarent; *Conſtantius Chlorus* & *Galerius* in *Cæſarum* nomen aſſumpti ſunt. Poſtea verò etiam *Narſes Perſa* Orienti bellum intulit: qui & ipſe demùm à *Galerio* ſuperatus captuſq; eſt.

A. 4306 m. 274 eu. menſe Martio repetita

petita est crudelissima *persecutio Christianorum*, (cuius metu *Marcellinus* episcopus *Romanus* Christum abnegasse & idolis sacrificasse fertur:) vtpote anno 19 imperij *Diocletiani*, quem Eusebius applicat anno 351 Antiochenorum. Quo minus excusabilis est error Ioseph Scaligeri statuentis imperij Diocletiani initium plusquam triennio post enneadecaeteridis Paschalis epocham: præsertim quum nulla alia satis idonea ratio appareat cur ibi statueretur epocha, quam etiam Ambrosius ille antiquus episcopus Mediolanensis disertè petit ab initio imperij Diocletiani.

A. 4308 m. 276 eu. *Diocletiano Nicomedia* & *Maximiano Mediolani* eodem die purpuram se exuentibus & abdicantibus imperio, illius IX huius VIII consulatu, exactis ferè 20 annis ab initio imperij Diocletiani, solus imperium cum appellatione Augusti obtinuit *Galerius*: qui mox Cæsares præter *Constantium* appellauit etiam *Maximinum* & *Seuerum*. Erat verò annus hic 101 à consulatu Chilonis & Libonis, inquit Zosimus.

A. 4310 m. 278 eu. mortuo *Constantio* die 25 Iulij in *Britannia*, biennio post abdicationem Diocletiani & Maximiani, anno 16 postquàm appellatus erat Cæsar,

Maxentius Maximiani filius titulum *Augusti* cum imperio. *Constantinus* autem filius Constantij potitus patris exercitu *Cæsaris* titulum vsurpauit.

A. 4311 m. 279 eu. *Constantinus* acceptâ in matrimonium *Faustâ* filiâ *Maximiani* nuper Imperatoris, huius operâ Imperator & *Augustus* primùm appellatus est, anno tertio Olympiadis 271 iuxta Eusebium in Chronico, at primo eiusdem iuxta Socratem historicum putantem Olympiadis initium à mense Septembre proximè præcedente bissextum Iulianum; anno autem Domini vulgari 307. Hoc duplex initium potentiæ Constantini haud animaduersum pleriſq; errorum occasiones præbuit. Itaq; imperium tunc fuit penes *tres Augustos*.

A. 4315 m. 283 eu. mortuo *Galerio* in Dacia Ripensi, a. 7 imperij, imperium cum *Augusti* appellatione etiam obtinuit *Licinius* circiter 13 annos.

A. 4316 m. 284 eu. *Constantinus* magno proelio superauit *Maxentium Romæ* ad pontem Miluium, vbi *Maxentius* extinctus est, exacto sexennio imperij sui, cœptæq; potentiæ Constantini, verùm quinquennio imperij huius, pauloq; post

mortem Maximini siue Maximiani iunioris, quem cum Seuero ante quadriennium interfecto Galerius imperij sui initio Cæsarem appellauerat. Huic autem tempori quo *remissa est persecutio Christianorum* quam Diocletianus ante decennium concitauerat, conuenit epocha *quindecennalium Indictionum Constantinianarum*, completo spatio 360 annorum siue 24 Indictionum ab epochâ Cæsarianâ Antiochinorum.

A. 4329 m. 297 eu. *Licinio* priuato Thessalonicæ contra ius sacramenti occiso, deinde solus imperium obtinuit *Constantinus* 12 annis. Eodem anno conuocata est *Nicæa Synodus Oecumenica.*

A. 4330 m. 298 eu. anno vicesimo potentiæ *Constantini*, completo postquàm Cæsar, ineunte postquam Augustus appellatus erat, autumni tempestate magnificè ab eo celebratis *vicennalibus Nicomediæ*, paulò plusquàm anno post congregatam primum *Synodū Oecumenicam Christianorum Episcoporum Nicæa*, quasi *triumphatum* est de profligato *Ethnicismo* prorsusq; sedatis Christianorum persecutionibus ab Imperatoribus Ethnicis, exactis 245 annis ab initio imperij Domi-

tiani, ac biſſeptenis ab epochâ Indictionum. Eodem autem tempore *hæreſis Arij* presbyteri *Alexandrini* appellati *Chriſtomachi & Principij Antichriſti*, vtpote cõtendentis Chriſtum non modò quoad humanam ſed etiam quoad diuinam naturã eſſe creatum, ideoq; omnimodò & poſteriorem & inferiorem Deo patre, quamlibet à Synodo Nicenâ condemnata, in aulam Imperatoriam ſe inſinuauit, ac deinceps per orbem terrarum plurimùm inualuit. Quo tempore *Sylueſter* fuit epiſcopus, ſiue vt à quibuſdam dicitur primus *Archiepiſcopus Romæ*. Hucuſque autem *Euſebius Pamphili*, Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopus, & Conſtantini concionator aulicus hoc tempore, atq; hæreſeos Arianæ fautor, tum hiſtoriam Eccleſiaſticam tum etiam Chronicon ſuum perduxit. Atque hoc ipſo anno viceſimo imperij Conſtantini, quo ſoluta eſt *Nicena Synodus*, initium hæreſeos Arianæ ſtatuit Ioannes Biclarienſis in fine Chronici poſt 250 annos à ſe conſcripti. Poſthæc verò vrbem *Hieroſolymorum* auguſtiſſimis templis ſiue oratorijs *Chriſtianorum* ornandam curarunt *Conſtantinus* & *Helena* ipſius mater. ac ijſdem temporibus claruerunt *Lactantius* & *Arnobius* Rhetores Chriſtiani.

A.

A. 4334 m. 302 eu. die 10 aut 11 mensis Maij, quasi medio anno 4 post acta Nicomediæ vicennalia, *Constantinopolis* ex Byzantio *noua Roma* siue altera Roma dedicata est; & ipsa, sicut vetus Roma, septicollis siue septiceps facta.

A. 4341 m. 309 eu. mortuus est *Constantinus magnus* prope Nicomediam die 22 Maij, ferè 31 annis postquàm Cæsar ac 30 postquam Augustus appellatus erat. Constantino autem in imperio successerunt tres filij, *Constantius* in Oriente, *Constans* & *Constantinus* iunior in Occidente. Quorum *Constantinus* post annos ferè tres Aquileiæ interfectus est. His temporibus claruit *Athanasius* episcopus *Alexandrinus* acerrimus Arianorum aduersarius.

A. 4351 m. 319 eu. *Sardicæ* celebrata est *Synodus* magna episcoporum, quâ confirmata est Nicena, ac damnata hæresis Ariana atq; Photiniana.

A. 4353 m. 321 eu. interfecto *Constante* in Hispaniæ introitu, *Magnentius* Augustoduni arripuit imperium; qui tertio inde anno Lugduni ad necem adactus est: *Gallus* autem Constantij patruelis *Cæsar* factus est, qui deinde *Iudæorum* in Syriâ & Palæstinâ rebellionem molientium multa millia occidit, & ciuitates eorum Diocæsaream,

ſaream, Dioſpolim, & Tiberiadem, plurimaq; oppida igni tradidit: quartoq; anno, Conſtantij iuſſu interfectus eſt. Iiſdem téporibus *Liberius* quum Arianę hæreſi ſubſcripſiſſet *Romæ* epiſcopus fuit. Deinde autem claruit *Hilarius* epiſcopus Pictauienſis.

A. 4363 m. 331 eu. *Synodis Ariminenſi* in Occidente & *Seleucienſi* Iſauriæ in Oriente confirmatus eſt Arianiſmus.

A. 4365 m. 333 eu. mortuo *Conſtantio* Mopſocrenis inter Ciliciam Cappadociamq; menſe Octobre aut Nouembre, imperium obtinuit *Iulianus* Conſtantini magni ex fratre nepos & Galli Cæſaris frater, Apoſtata, verùm non tam Chriſtianorum corpora occîdens vel vllam apertam vim illis inferens, quam technis Chriſtum euellere ex ipſorum animis tentans, nec tam impellens quàm blandè illiciens Chriſtianos ad ſacrificandum Idolis Ethnicorum. Eodem autem permittente *Iudæi Hieroſolymis* templum reædificare aggreſſi feruntur diuinitùs operam fruſtrati.

A. 4367 m. 335 eu. occiſo *Iuliano* in proelio contra Perſas die 26 Iunij, *Iouianus* ſiue *Ioninianus* Imperator appellatus eſt. Is autem, poſtquàm *Niſibin* & magnam

nam *Mesopotamiæ* partem *Sapori Persarum* regi concedere coactus erat, (quo tempore *Synodo Antiochinâ Macedonianum* dogma de Homœousio cõfirmatum est,) circa finem eiusdem anni Dadastanæ in confinio Bithyniæ & Galatię extinctus est.

A. 4368 m. 336 eu. quasi ineunte, *Valentinianus* Nicææ electus est Imperator die bissexto ante calendas Martij. isq; post mensem, circa 28 diem Martij, Valentem fratrem imperij consortem fecit: *Procopio* Iuliani cognato Constantinopoli imperiũ arripiente: qui inde intra biennium interfectus est. *Valens* plurimùm in *Oriente*, *Valentinianus* in *Occidente* versati sunt.

A. 4369 m. 337 eu. ingens terræmotus per orbem contigit: & *Romæ* in electione *Damasi* episcopi siue *Papæ* cruentum schisma extitit. Primus autem *Damasus* fertur alio die consecratus quàm electus erat.

A. 4379 m. 347 eu. mortuo *Valentiniano* circa 17 d. Nouemb. Brigitione oppido Quadorum siue Bohemiæ, cum Valente imperare cœperunt *Gratianus* ac *Valẽtinianus* iunior, vterq; in Occidente. Quo tempore *Ambrosius Mediolani* episcopatum obtinuit: atq; *Basilius* episcopus *Cæsareæ*

ſarea Cappadociæ & *Gregorius Nazianzenus* atq; *Gregorius Nyſſenus*, ſed & *Moſes* Orthodoxus *Sarracenorum* epiſcopus, nec non *Ephrem Edeſſenus* diaconus claruerunt.

A. 4382 m. 350 eu. *Valente* vnà cum legionibus *Romanis* in *Thraciâ* 9 die Auguſti ad internecionem vſq; cæſo à *Gothis*, ſequente 16 die Ianuarij cum Gratiano & Valentiniano iuniore imperare cœpit *Theodoſius* in Oriente. Ad Valentis verò cædem Chronicon Euſebij continuauit *Hieronymus Preſbyter*, qui eodem tempore claruit: quo etiam *Epiphanius* epiſcopus *Salaminis* Cypri. Atque circa idem tempus *Priſcillianus* de Gallæciâ Hiſpaniæ epiſcopus, è Gnoſticorum & Manichæorum hæreſibus illam ſemiethnicam à ſe denominatam conflauit: contra quem triennio poſteà *Cæſaraugustæ* in Hiſpaniâ *Synodus* celebrata eſt.

A. 4384 m. 352 eu. renouatâ pace cum Gothis Thraciâ pulſis à Theodoſio, *Synodus Oecumenica* ſecunda celebrata eſt *Conſtantinopoli* contra Macedonium.

A. 4387 m. 355 eu. *Maximus* potito *Britanniâ* & *Gallijs*, occiſus eſt *Gratianus* Lugduni 25 die Auguſti. Altero autem inde anno *Synodus Burdigalæ* in Galliâ habita

habita est contra Priscillianum. Annoq; tertio posthæc *Maximus* 27 die Augusti prope Aquileiam, eiusq; filius *Victor* in Gallia victi & interfecti sunt.

A. 4396 m. 364 eu. *Valentiniano Iuniore* Viennæ Galliæ strangulato idibus Maij pridie Pentecostes, *Eugenius* ad Occidentis imperium Arbogastis ope prouectus est.

A. 4398 m. 366 eu. post occisos in Alpibus *Eugenium* & Arbogastem circa 6 diem Septembris, mortuo *Theodosio* Mediolani 18 die Ianuarij, imperare coperunt eius filij, *Arcadius* in *Oriente*, & *Honorius* in *Occidente*. quo demum tempore *Romanũ imperium Orientale ab Occidentali* prorsus diuisum est. Circa idem tempus *Augustinus Hipponis* episcopus electus est: & post triennium *Ioannes Chrysostomus* constitutus episcopus *Constantinopolitanus*.

A. 4403 m. 371 eu. transacto ferè quinquennio imperiorum *Arcadij* & *Honorij*, initio consulatus *Stilichonis* & *Aureliani*, ac vulgaris anni Domini 400, *Gothorum Italiam Alarico* & *Radagaiso* ducibus inuadentium, ac deinde aliorum populorum Septentrionalium in alias pro-

uincias

uincias irruptionibus, atq; prouinciarum defectionibus, *Romanum imperium* præsertim *Occidentis* manifestè *inclinare cœpit*; annis 360 siue duodecies tricenis à fine 70 Hebdomadum Danielis iuxta chronologiam nostram. Hoc autem tempore *Sulpicius Seuerus* & *Paulus Orosius* historici Christiani claruerunt. Eodemq; anno prima *Toleti* in Hispaniâ *synodus* celebrata est contrà Priscillianistas.

A. 4412 m. 380 eu. mortuo *Arcadio* 1 die Maij, in *Oriente* imperare cœpit *Theodosius iunior*.

A. 4413 m. 381 eu. *Wisigothi*, *Alani*, *Vandali*, *Silingi*, & *Sueui*, postquàm triennio ferè in Gallijs grassati erant, *Hispanias* occuparunt, regnaq; ibi condiderunt. Eodem autem anno *Attalus* Imperator creatus est ab *Alarico Gothorum* duce *Romam* tunc obsidente.

A. 4414 m. 382 eu. *Honorio Ravennæ* residente, vbi sedem imperij ferè habuit, *Roma* orbis terrarum quondam victrix à *Gothis Alarico* duce capta est circa 24 diem Augusti. Ea tamen tunc post paucos dies recepta est. Annoq; sequente oppressi *Constantinus* qui ferè quinquennio in *Britanniâ* & *Gallijs* imperium affectauerat, eiusq; filius *Constans* in *Hispaniâ* regnare

orsus,

orsus. Sed & sexto ferè anno posteà *Honorius Romæ* de *Attalo* capto triumphauit.

A. 4416 m. 384 eu. *Athaulfus* rex *Visigothorum* transiens in *Gallias*, triennio postea regnum stabiliuit *Tolosæ*. Circa quod tempus *Pelagius Brito* hæresiarcha extitit: cõtra quem deinde post quinquennium *Synodus Carthagine* habita est.

A. 4427 m. 395 eu. mortuo *Honorio* 15 die Augusti, ac deinde intra biennium oppresso *Ioanne* imperium affectante, in *Occidente* imperare cœpit *Valentinianus Placidiæ* filius.

A. 4432 m. 400 eu. *Geisericus Vandalorum* rex quum ex *Hispaniâ* traiecisset, in *Africâ* regnare cœpit. Eodemq; anno *Merouæus Francorum* dux traiecto Rheno in *Gallijs* sedem fixit & regni fundamenta iecit. vnde demùm Gallia appellata est *Francia*. Eodem etiam anno *Nestorius* hæresiarcha *Constantinopolis* episcopatum obtinuit.

A. 4435 m. 403 eu. *Ephesi Synodus Oecumenica* tertia celebrata est contra Nestorium: quam moderabatur *Cyrillus* episcopus *Alexandrinus*.

A. 4443 m. 411 eu. *Geisericus* cepit *Carthaginem* circa 20 d. Octobris.

A. 4445 m. 413 eu. *Hunni Bledâ* & *Attilâ*

Attilâ fratribus regibus traiecto Istro, a
præcipuè repetentes *Pannonias*, vnde an
14 annos post 50 annorum possessionem
eiecti erant, mox etiam Thraciam & Illy-
ricum depopulati sunt. Ad quartum ver
post hunc annum *Prosper Aquitanus* Hie-
ronymi Chronicon continuauit.

A. 4450 m. 418 eu. *Scoti* & *Picti* inua-
serunt *Britannicas* prouincias: prouincia-
libus auxilia *Romanorum* ab *Aëtio* patri-
tio tunc tertium consule, ac præcipuo
propugnatore imperij *Occidentis*, frustra
implorantibus.

A. 4453 m. 421 eu. *Ephesi* habita est
synodus violenta pro *Eutyche* hæresiar-
châ.

A. 4454 m. 422 eu. mortuo *Theodosio*
iuniore 28 die Iulij, in *Oriente* imperare
cœpit *Marcianus*.

A. 4455 m. 423 eu. magnâ pugnâ in
campis *Catalaunicis Galliæ Attila Hunno-*
rum rex ab *Aëtio* superatus est. Eodem
anno *Chalcedone Synodus Oecumenica*
quarta celebrata est ab 8 die Octobris
contra Eutychetem. Eâdem etiam tempe-
state *Angli Saxones* in *Britanniam* à pro-
uincialibus desperantibus de Romanis
auxilijs contra Scotos & Pictos acciti
Hengisto & *Horso* ducibus appulerunt.

A.

A. 4459 m. 427 eu. interfecto *Valentiniano Placid.* f. 16 die Martij, In *Occidente* imperare cœpit *Maximus*: eoq; intra trimestre interfecto, *Auitus*, Quâ tempestate *Roma* à *Geiserico Vandalorum* rege 12 die Iulij capta & direpta est. Tunc autem *Romæ Papa* fuit *Leo magnus*.

A. 4460 m. 428 eu. mortuo *Marciano* 26 die Ianuarij, in *Oriente* imperare cœpit *Leo*: in *Occidente* autem, quum 17 die Martij anteà *Auitus* imperio abdicare coactus esset à Ricimero patritio, *Maiorianus*. His temporibus *Isaac Antiochenus* presbyter Syro sermone multa, præsertim contra Nestorianos & Eutychianos scripsisse fertur.

A. 4465 m. 433 eu. interfecto *Maiorano* dolo Ricimeri 7 idus Augusti, in *Occidente* imperare cœpit *Severus*.

A. 4469 m. 437 eu. mortuo *Severo* etiam dolo Ricimeri circa Septembrem, deinde *Occidentis Imperium vacauit* ferè sesquianno. Quo tempore claruit *Theodoretus* Cyrensis episcopus.

A. 4471 m. 439 eu. in *Occidente*, desponsatâ Ricimeri filiâ, circa Aprilem imperare cœpit *Anthemius*.

A. 4476 m. 444 eu. quo ex *Vesuuio* monte iterùm eruperunt ignes, interfecto

Anthemio

Anthemio & captâ *Româ* 11 die Iulij à Ricimero, (qui etiam ipse demùm sequente mense mortuus est,) in *Occidente* imperare cœpit *Olybrius*: ac eò quoq; intra septimestre mortuo, *Glycerius*.

A. 4478 m. 446 eu. quasi ineunte *Glycerio* coacto abdicare, in *Occidente* imperare cœpit *Iulius Nepos*. Eodemq; anno ferè medio mortuo *Leone*, paulóq; post *Leone infante*, in *Oriente* imperare cœpit *Zeno*.

A. 4479 m. 447 eu. ejecto *Iulio Nepote* circa fin. Octob. in *Occidente* imperare cœpit *Orestes* cum filio *Momyllo Augustulo*.

A. 4480 m. 448 eu. quasi ineunte, *Zenone* pulso, in *Oriente* imperare cœpit *Basiliscus*.

Eodem anno interfecto *Oreste*, iterumq; captâ *Româ* ab *Odouacro Herulorum* rege, atq; *Augustulo* coacto abdicare, *Romanum imperium in Occidente cessauit*: eodem *Odouacro Regis Italiæ* titulum capessente circa 23 diem Augusti.

A. 4481 m. 449 eu. repulso *Basilisco*, in *Oriente* iterùm imperare cœpit *Zeno*.

A. 4488 m. 456 eu. *Illus* Isaurus & *Leontius* arreptâ tyrannide *Orientem* turbarunt circiter quadriennium.

A.

A. 4495 m. 463 eu. mortuo *Zenone*, 8 idus Aprilis, in *Oriente* imperare cœpit *Anastasius*. Eius secundo anno motum bellum *Isauricum* à *Longino* Zenonis fratre & *Athenodoro* durauit ferè sexennium.

A. 4497 m. 465 eu. quasi ineunte, capto *Rauenna* & mox interfecto *Odoacro* circa initium Martij, *Italiæ* regno potitus est *Theodoricus Ostrogothorum* rex.

A. 4506 m. 474 eu. *Cabades* rex *Persarum* irruptione in *Armeniam* & *Mesopotamiam* factâ *Amidam* cepit. Sub idem tempus *Bulgari* cœperunt grassari in *Thraciâ*.

A. 4509 m. 477 eu. *Iudæorum Talmud Babylonium* editum est à Rabbinis Mar & Marmar: annis 36 post editum Hierosolymitanum, 79 post decessum Rabbi Asæ postremi Amuræorum siue Gnomologorum aut Magistrorum sententiarum, 317 post editam Misnam siue volumen Deuteroseôn id est Traditionum.

A. 4511 m. 479 eu. euerso à *Clodoueo Francorum* rege regno *Tolosano*, regnum Wisigothorum intra Hispanias coactum est.

A. 4513 m. 481 eu. *Alamundarus Saracenorum* rex inuasit *Palæstinam*: qui se-

quentibus annis baptizatus suscepit defensionem Chalcedonensis Synodi contra Anastasium Imperatorem, Eutychianum. quando & *Vitalianus Gothus* eodem prætextu eidem rebellauit.

A. 4522 m. 490 eu. extincto *Anastasio* 9 die Iulij, in *Oriente* imperare cœpit *Iustinus*: qui biennio posteà *Hormisdam Papam Romanum* titulo *Patriarchæ* auxisse dicitur.

A. 4530 m. 498 eu. mortuo *Theoderico* circa Septemb. in *Italiâ* regnare cœpit *Athalaricus*.

A. 4531 m. 499 eu. mortuo *Iustino* circa initium Augusti, in *Oriente* imperare cœpit *Iustinianus*.

A. 4537 m. 505 eu. *Constantinopoli* editæ sunt mense Nouembre *Institutiones*, ac Decembre *Digesta* siue *Pandectæ iuris ciuilis Romani* imperij, edicto *Iustiniani*. Quo anno anteà pax cum Persis renouata, atq; *Africa* tota ferè recepta erat.

A. 4538 m. 506 eu. de receptâ totâ *Africâ* captoq; *Gilimero* postremo ibi regum *Vandalorum Constantinopoli* triumphatum est. Deinde autem mense Nouembre editus est nouus *Codex Iustiniani*, abrogato priore edito ferè quinquennio antè. Sequentibus verò annis ed-

tæ ſunt *Conſtitutiones Nouellæ.*

Cæterùm eodem illo anno mortuo *Athalarico*, matris eius Amalſuinthæ ope *Italiæ* regnum adeptus eſt *Theodatus*: qui mox hanc interfecit. eo autem facto bellum ſibi à *Iuſtiniano* accerſiuit.

A. 4540 m. 508 eu. interfecto *Theodato, Italiæ* regnum adeptus eſt *Vitiges.* eodemq; anno 10 die Decembris *Beliſarius Iuſtiniani* legatus recepit *Romam.* In *Africâ* verò & *Mauritanijs* militum præſidiariorũ ſeditione & *Stozâ* regnum arripiente tumultuari cœptum.

A. 4544 m. 512 eu. capto *Vitige* à *Beliſario*, *Italiæ* rex appellatus eſt *Theobaldus.* Eodem anno *Choſroes Perſarum* rex in Orientis prouincijs *Antiochiam* vſq; graſſatus eſt.

A. 4546 m. 514 eu. interfecto *Theobaldo, Italiæ* rex appellatus eſt *Araricus*: eoq; poſt paucos mẽſes etiam interfecto, *Totilas.*

A. 4550 m. 518 eu. circa medium Decembris *Totilas Romam* cepit, & maximâ ex parte euertit: quam anno ſequente iterùm recepit *Beliſarius.*

A. 4552 m. 520 eu. *Sclani* occuparunt *Illyricum*, poſtea dictam *Sclauoniam.*

A. 4553 m. 521. eu. *Totilas* iterùm ce-

pit *Romam*: Beliſario Italiam relinquente inglorio.

A. 4556 m. 524 eu. *Totilas* à *Narſete* Iuſtiniani Eunucho prœlio victus & interfectus eſt. Cuius loco *Teias* à *Gothis Italiæ* rex conſtitutus eſt.

A. 4557 m. 525 eu. *Teiâ* interfecto & *Gothorum regno in Italiâ* euerſo à *Narſete*, deinceps ea tanquam *Conſtantinopolitani imperij prouincia* adminiſtrari cœpta eſt. Atq; huius belli *Gothici Italici* temporibus exoleuit mos creandi quotannis *conſules Conſtantinopoli* pariter ac *Romæ*. Hinc enim nemo conſulatum geſſit niſi imperator Conſtantinopolitanus, iſq; duntaxat ſemel aſſumptum circa initium imperij.

Cæterùm eodem anno finiti belli Gothici, primo die Maij congregata eſt *Conſtantinopoli* ſecunda *Synodus* magna, ſed nimis imperatoria, pro condemnatione trium Capitulorum Chalcedonenſis Synodi Oecumenicæ: ſuffragatore at diſſimulantèr *Vigilio Papâ Romano*, qui hoc pacto (vt refert *Victor Tunnunenſis* in Chronico) à Theodorâ Auguſtâ & Patritiâ Beliſarij vxore Papatum ſtipulatus erat.

A. 4569 m. 537 eu. mortuo *Iuſtiniano*

ano idibus Nouembris, *Constantinopoli* imperare cœpit *Iustinus* iunior.

A. 4575 m. 543 eu. *Longobardi (Pannoniâ* inferiore quam ante aliquot annos occupauerant conceſsâ *Hunnis*, vnde vt quidam retulerunt ea dicta eſt *Hungaria)* apparantes expeditionem in *Italiam*, initio ſequentis veris eam inuaſerunt, regnumq; ibi condiderunt: quod durauit ferè 204 annis. Pleriq; hodiè hanc Longobardorum expeditionem ante triennium ſtatuunt, propter Indictionem & Paſcha quæ Paulus Diaconus in eius hiſtoriâ vt apparet addidit de ſuo. Sed Blondus Flauius 8 l. ſuæ hiſtoriæ inclinati Romani imperij meliores auctores quum hunc quoq; haberet ſecutus videtur, vt & Matthæus Palmerius Florentinus in Chronico adiuncto ad Euſebianum: quandoquidem Paulus ipſe ſibi non conſtet, quatenus & Benedictum Papam Romanum eodem tempore, & deinde intra quadriennium Tiberium Imperatorem fuiſſe refert. Circa idem verò tempus *Exarchatus Rauennæ* in *Italiâ* ab Imperatore Conſtantinopolitano contra eoſdem inſtitutus eſt: qui durauit circiter 180 annos. Primus exarchus fertur *Longinus*: primus verò rex Longo-

bardorum *Alboinus*. Ab hoc autem tempore, exactis 245 annis grassatæ hæreseos Arianæ, atq; inter horum turbas in Italiâ *Romanorum Paparum ambitio* vnà cum superstitioso & *Idololatrico* cultu reliquiarum & imaginum Sanctorum maiorem in modum inualuit. simulq; ortæ sunt contentiones inter *Papam Romanum* & episcopum *Constantinopolitanum* de *Primatu*.

A. 4582 m. 550 eu. mortuo *Iustino* iuniore 5 die Octobris, quandò imperauerat vix 13 annos, iuxta pleroſq; omnes Historicos & Chronographos æquè Græcos ac Latinos, inque his Ioannem Biclarienſem qui tunc degebat Constantinopoli, neutiquàm verò 16 iuxta Annales Baronij, nixi quidem auctoritate Euagrij sed vt apparet à sciolo aliquo intèrpolati; *Constantinopoli* imperare cœpit *Tiberius* iunior *Constantinus*: quum iam anteà circiter quadriennium pro Iustino quasi demente imperium administrasset.

A. 4586 m. 554 eu. mortuo *Tiberio* iuniore 14 die Augusti sub finem Indictionis 15, postquàm à morte Iustini imperauerat ferè 4 annos, *Constantinopoli* imperare cœpit *Mauricius*, iuxta Fastos etiam Græcos.

A.

A. 4588 m. 556 eu. regnum *Sueuorum* in *Gallæciâ* Hiſpaniæ à *Leouigilde* rege *Gothorum* & *Alanorum* occupatum eſt.

A. 4591 m. 559 eu. quaſi ineunte, *Ioannes epiſcopus Conſtantinopolitanus* congregato concilio ſuffraganeorum ſuorum, conſenſu Imperatoris, vſurpauit titulum *Archiepiſcopi Cõſtãtinopolis nouæ Romæ & Oecumenici (ſiue Vniuerſalis) Patriarchæ:* quem ipſe & ſucceſſores ipſius, quamlibet refragantibus Pelagio & ſequentibus Papis Romanis, ad hunc vſque diem etiam ſub Turcicis Imperatoribus mordicùs retinent.

A. 4593 m. 561 eu. *Recaredus* rex *Hiſpaniarum* concilio *Toleti* condemnatâ hæreſi Arianâ *Catholici* regis nomen primus acquiſiuit.

A. 4600 m. 568 eu. *Gregorius Papa Romanus* (qui primus eorum ſe appellauit *ſeruum ſeruorum Dei*) miſit *Auguſtinum Monachum in Britanniam* ad docendum *Angloſaxones* Chriſtianæ religionis initia, noua ſcilicet Romanis ſuperſtitionibus referta. nam antiqua ibi nondùm ab illis omninò eradicata erant.

A. 4606 m. 574 eu. interfecto *Mauricio* 24 die Nouembris poſtquàm imperauerat 20 annos item iuxta Faſtos quoque

Græcos pariter ac Latinos omnes, non tantùm 16 iuxta Baronij Annales, *Constantinopoli* imperare cœpit *Phocas*.

A. 4611 m. 579 eu. *Bonifacius* eius nominis tertius *Papa Romanus*, quò saltem par esset Patriarchæ Constantinopolitano, à Phocâ Imperatore obtinuit vt *Ecclesia Romana* esset ac diceretur *Caput omnium Ecclesiarum*. Atq; ita demùm iunior ista bellua Romana euasit bicornis. sed & hoc posteriùs exortum cornu euasit duorum longè superbius ac ferocius.

A. 4614 m. 582 eu. interfecto *Phocâ* circa mensem Iulium, *Constantinopoli* imperare cœpit *Heraclius*.

A. 4618 m. 586 eu. vrbs *Hierosolymorum* à *Chosroe Persarum* rege capta est.

A. 4626 m. 594 eu. die 16 Iulij ac 6 septimanæ fuit initium armatę potentię *Muhamedis Arabis Sarraceni* seductoris, suppullulantis è succisæ Arianæ hæreseos radice, quum ob editum *Alchoranum* ex vrbe *Mechâ* fugatus esset: cui conuenit *Hegira* siue epocha Mahometana Sarracenorum.

A. 4631 m. 599 eu. *Heraclius* debellato *Chosroe* factáq; pace cum *Syroe* eius filio (qui patri regnum & vitam eripuit), recepit

cepit *Hierosolyma.*

A. 4636 m. 604 eu. mortuo *Mahamede* circa 8 diem Iunij, postquàm annum Mahometanum (duodecim mensibus lunaribus tantummodò constantem) ætatis suæ 63, cœptæ primùm simulari propheticæ virtutis 44, professionis propheticæ 23, editi Alchorani & armatæ potentiæ 11 attigerat, eius successor siue *Chalipha* factus est ipsius socer *Abubachar.*

Eodem anno, 16 die Iunij, *Iesdagirdes*, vt videtur, fretus auxilio Sarracenorum, aduersus *Hormisdam* capessiuit *Persiæ* regnum, exinde continuis seditionibus turbatum, donec à Sarracenis occuparetur: quam apparet esse rationem Epochæ Iesdagirdicæ eodem tempore institutæ.

A. 4638 m. 606 eu. mortuo Abubacharo, *Chalipha* factus est eius propinquus *Aumar:* qui mox *Arabiam* totam occupauit; ac 23 die Augusti *Damascum* cepit, veruntamen Christianæ religionis exercitia ibi tolerauit. Deinde autem regiones *Phœnices* peruasit vsq; ad Aegypti fines.

A. 4640 m. 608 eu. *Aumar* deditione cepit *Hierosolyma:* ac anno sequente *Ægyptum.*

A. 4642 m. 610 eu. *Sarraceni* occuparunt *Syriam* & *Antiochiam*, adeoq; reliquas

quas prouincias omnes ab Aegypto vsque ad *Euphratem*.

Anno autem sequente, *Mesopotamiâ* ac *Persico* regno (septennio post epocham Iesdagirdicam) potiti sunt.

A. 4645 m. 613 eu. mortuo *Heraclio* circa Aprilem, *Constantinopoli* imperare cœpit eius filius *Constantinus*. hoc autem extincto post quadrimestre, *Heracleonas*. atq; eo eiecto mense sexto, *Constans* Constantini filius.

A. 4649 m. 617 eu. Aumare occiso *Hierosolymis*, vbi ædificauerat magnificum templum Mahometanum, *Chalipha* factus est *Othman*, alius propinquorum Ababachari. qui deinde intra biennium occupauit *Africam*.

A. 4652 m. 620 eu. *Sarraceni Muhauiâ* duce ceperunt insulam *Cyprum*: & anno sequente *Aradum*.

A. 4657 m. 625 eu. *Sarraceni Rhodum* insulam expugnarunt: ac deinde pleraſque alias insulas maris Aegæi, imò totius mediterranei grauiter afflixerunt.

A. 4658 m. 626 eu. *Constans Imperator* proelio nauali à *Sarracenis* victus ac propè captus est.

A. 4659 m. 627 eu. Othmane interfecto, *Chalipha* factus est *Hali* Muhamedis patruelis;

patruelis; diuersæ factionis atq; sectæ ex diuersâ interpretatione Mahometicæ superstitionis à præcedentibus auctor in *Persida*.

A. 4664 m. 632 eu. interfecto *Hali*, *Chalipha* factus est eius filius *Hasen* aut *Hacam*. Eo autem mox abdicante, *Muhauias*. qui quum Aumaris & Othmanis legatus in *Ægypto* esset, vrbem *Cairum* vbi olim Memphis ædificare cœpisse dicitur. Chaliphatus verò regiam statuit *Damascum Syriæ*.

A. 4672 m. 640 eu. interfecto Syracusis *Constante* id. Iulij, *Constantinopoli* imperare cœpit eius filius *Constantinus Pogonatus*.

A. 4676 m. 644 eu. *Sarraceni Constantinopolim* magnâ classe oppugnarunt à mense Aprili ad Septembrem vsq; : ac anno sequente iterum : sed frustrà, adeóque magno suo malo.

A. 4680 m. 648 eu. *Constantinus Imp.* *Muhauiam Chal.* adegit ad petendam pacem 30 annorum, & pendendum tributum trium millium librarum auri.

A. 4682 m. 650 eu. mortuo Muhauiâ, *Chalipha* factus est *Iezid* eius filius.

A. 4684 m. 652 eu. mense Nouembre congregata est *Constantinopoli* tertia *Synodus*

modus magna, quâ condemnata est *hæresis Monotheletarum*, Heraclio imperante sub Hegiram Mahometanam nata.

A. 4686 m. 654 eu. mortuo Iezid, *Chalipha* factus est *Maruan* filius Hasenis.

A. 4687 m. 655 eu. mortuo Maruan, *Chalipha* factus est *Abdimelich* vel *Abdulmelich* filius *Abasis* filij Abubachari. Huius autem sæuitiam fugiens cum suis quidam procerum Maruanionum dictus *Abderamun*, ad occidentem Africę in *Mauritaniâ* Tingitanâ conditâ vrbe *Marocco*, primus Princeps appellatus *Amiralmumenim* ibi extitisse fertur.

A. 4689 m. 657 eu. mortuo *Constantino Pogonato* mense Ianuario, *Constantinopoli* imperare cœpit eius filius *Iustinianus* iunior.

A. 4694 m. 662 eu. *Iustinianus* pacem cum *Abdimelich Chal.* qui nuper intestinis seditionibus liberatus erat, magno suo damno dissoluit.

A. 4699 m. 667 eu. eiecto *Iustiniano*, *Constantinop.* imperium vsurpauit *Leontius*. In huius & sequentium Imperatorum plerorumque vsque ad Leonem Isaurum initijs, vno plus minus anno à Baronij calculo discedimus.

A. 4702 m. 670 eu. eiecto *Leontio*, *Constan-*

Constantinop. imperium vsurpauit *Absimarus Tiberius*. Cuius copiæ eodem anno *Syriam* populatæ feruntur occidisse ad ducenta millia *Sarracenorum*.

A. 4709 m. 677 eu. mortuo Abdimelicho, *Chalipha* factus est *Vlid* siue *Enelid*.

Eodem autem anno electo *Absimaro*, *Constantinop.* imperium recuperauit *Iustinianus* iunior, iam ex mutilato à Leontio naso adeptus cognomen *Rhinotmeti*.

A. 4715 m. 683 eu. interfecto *Iustiniano Rhinotmeto*, postremo è stirpe Heraclij, *Constantinopoli* imperare cœpit *Philippicus* hæreticus Monotheleta.

A. 4717 m. 685 eu. electo *Philippico* circa Pentecosten, *Constantinopoli* imperare cœpit *Artemius Anastasius*.

Eodem anno *Sarraceni* & *Mauritani* inuadentes *Hispaniam*, regnũ *Wisigothorum* ibi ferè totum euerterunt, ipsiq; occuparunt. Hispanis tamen Christianæ religionis exercitium sub menstruo tributo liberum permiserunt.

A. 4718 m. 686 eu. mortuo Vlid, *Chalipha* factus est *Suleiman* siue *Zulcimin*.

A. 4720 m. 688 eu. quasi ineunte, electo *Artemio*, *Constantinopoli* imperare cœpit *Theodosius* tertius.

A.

A. 4721 m. 689 eu. eiecto *Theodosio* III, 25 die Martij, *Constantinopoli* imperare cœpit *Leo Conon Isaurus*.

Eodem anno, mense Augusto *Sarraceni* cœperũt obsidere *Constantinopolim*. ad cuius obsidionem mense Octobre mortuo Suleimane, *Chalipha* factus est *Aumar* secundus. is verò, quanquam Constantinopolitani intercà grauissimâ lue conflictarentur, tamen exacto ferè anno re infectâ obsidionem soluere coactus, in reditu classem ferè omnem naufragio amisit.

A. 4724 m. 692 eu. quasi ineunte, mortuo Aumar II, *Chalipha* factus est *Iezid* secundus.

A. 4728 m. 696 eu. mortuo Iezid II, *Chalipha* factus est *Euelid* siue *Vlid* secũdus.

A. 4729 m. 697 eu. *Leo Conon* Imperator cœpit εἰκονομαχεῖν, eóq; facto irritare crabrones sui seculi, præsertim verò iuniorem belluam *Romanã*; quæ eâ arreptâ occasione contra seniorẽ mox vtrumq́; cornu in altum sustulit; veteris quidem *Romæ Papa Gregorius* secundus eousque, vt Leoni Imperatori percusso anathemate excommunicationis, vrbis iam quasi suæ ac reliquæ Italiæ tributa solui prohibuerit.

Circa a. 4739 m. 707 eu. iuxta Palmerium

rium & Platinam & alios, *Papa Romanus Gregorius tertius* plane deficiens à *Leone Imperatore* pro *cultu Imaginum*, ad sui defensionem (contra Luitprandum Longobardorum regem, inito fœdere cum Imperatoris Exarcho, obsidentem Romam,) cum *Carolo Martello* magnate *Francie* siue Galliæ (qui præcedentibus annis Sarracenos Franciam inuadentes magnâ ipsorum strage repulerat) fœdus pepigit; quasi 666 annis ab initio imperij Vespasiani.

A. 4742 m. 710 eu. ab *Asturibus Hispanis* detrectantibus iugum Sarracenorum electus rex *Adelponsus* siue *Alfonsus* (gener *Pelagij* qui reliquias suorum in montibus contra *Sarracenos* ferè 20 annis propugnauerat,) oriundus è prosapiâ Recaredi, aliquot vrbibus istos pepulit: ac *Regis Catholici* appellationem in *Hispaniâ* renouauit.

A. 4745 m. 713 eu. mortuo *Leone Cosone* 18 die Iunij, *Constantinopoli* imperare cœpit eius filius *Constantinus*, per ludibrium ab *Imaginum cultoribus* appellatus *Copronymus*. qui nihilominùs & contra *Sarracenos* mox eductâ classe strenuè prosperéq; rem gessit, & *Artabasdum* interim prætextu defendendarum Imaginum imperium

perium affectantem intra biennium oppressit.

A. 4746 m. 714 eu. mortuo Euelid II, qui paulò ante mortem concessit *Christianis Antiochiæ* denuò potestatem eligendi Patriarchæ, quo per annos 40 destituti fuerant, *Chalipha* factus est *Iezid* tertius, ac deinde intra annum occiso Iezid III, *Hisam* aut Hasen aut Hacam secundus.

A. 4748 m. 716 eu. extincto Hisamo, *Chalipha* factus est (forte *Euelid* tertius, eoq; mox interfecto) *Maruan* secundus. His verò temporibus *Sarraceni* intestinis seditionibus vehementèr conflictati sunt.

A. 4751 m. 719 eu. grauissima *lues Constantinopoli* ac toto ferè *Oriente* sæuijt: intraq; biennium antè & pòst, in *Palæstina Syriâ* ac *Mesopotamiâ* vehementissimi *terræmotus* extiterunt.

A. 4754 m. 722 eu. quasi ineunte, interfecto Maruan II, *Chalipha* factus est *Muhamed Abubalas* siue *Abulabas*: qui regiam Chaliphatus statuit in *Perside*.

A. 4755 m. 723 eu. *Franciæ* rex à *Zachariâ Papâ Romano*, pronunciante deijciendum regno (quasi propter ignauiam scilicet) legitimum regem *Childericbum* postremum è stirpe Merouei, creatus est

Pipinus

Pipinus filius *Caroli Martelli*.

A. 4758 m. 726 eu. mortuo Muhamed Abulabas, *Chalipha* factus est *Abdalla Abugiaphar*: qui vrbem *Bagdatam*, vbi olim Seleucia, in viciniâ Babylonis ædificare cœpisse dicitur, quæ posteà habita est primaria sedes *Chaliphatus Sarracenorum*.

A. 4768 m. 736 eu. *Turcæ* populus Septentrionalis per Caspias portas transeuntes occuparunt *Armeniam*, circa fontes *Euphratis*.

A. 4778 m. 746 eu. *Carolus* Pipini filius rex *Francorum*, ad *Adriani Papæ Romani* petitionem, regnum *Longobardorum* in *Italiâ*, capto *Desiderio* rege postremo, euertit.

A. 4779 m. 747 eu. mortuo *Constantino Copron.* sub medium Septembris, *Constantinopoli* imperare cœpit eius filius *Leo* quartus.

Eodem autem anno & eodem mense mortuo Abdallâ Abugiaphar, *Chalipha* factus est *Madi Muhamed*.

A. 4784 m. 752 eu. mortuo *Leone* IV. die 8 Septembris, *Constantinopoli* imperare cœpit eius & *Irenes* filius *Constantinus*, simul cum matre.

A. 4788 m. 756 eu. mortuo Madi, *Chalipha* factus est *Muse* siue *Moses*. eoque

deinde mortuo intra annũ, *Aaron Reſid*; qui inſenſiſſimus Chriſtianæ religionis euaſiſſe perhibetur: an non ob *cultum Imaginum* triennio poſthæc ſancitum magni *Synodo Niceæ* congregatâ, cui præfuerunt legati *Adriani Papæ Romani*? vnde & Leonis Iconomachi progenies Imperatoria peſſum ire cœpit.

A. 4801 m. 769 eu. capto & oculis priuato à matre *Conſtantino Irenes* ita vt tertio pòſt die moreretur circa menſem Auguſtum, *Conſtantinopoli* imperium occupauit *Irene* ſola.

A. 4804 m. 772 eu. *Carolus* magnus *Francie* rex à *Papâ Romano Leone* tertio, *Romæ Imperator Auguſtus* creatus eſt 25 die Decembris, quo ſcilicet celebrabatur ſolenne feſtum Natiuitatis Domini. Atq; ita renouatum eſt *Imperium Romanum* in *Occidente*, primùm apud *Francos*.

A. 4806 m. 774 eu. captâ & in ordinem redactâ *Irene* circa finem Octobris, *Conſtantinopoli* imperare cœpit *Nicephorus Patritius*.

A. 4812 m. 780 eu. mortuo Aarone, *Chalipha* factus eſt *Imin Muhamed*: contra quem *Abdalla* & alij fratres ſeditionem mouerunt.

A. 4815 m. 783 eu. ejecto *Nicephoro* 5 die

die Octobris, *Constantinopoli* imperare cœpit *Michael Curopalata*.

A. 4817 m. 785 eu. quasi ineunte, eiecto & mox interfecto Imin, diuulsum est imperium *Sarracenicum*, factusq; *Chalipha* in *Bagdatâ* & *Perside Mamon* Aaronis filius, doctrinæ & doctorum hominum admodùm studiosus, in *Damasco Abdalla*; in *Ægypto* autem & *Africâ* siue *Mauritaniâ* duo alij: præter principes siue *Sultanos* complures quasi minorum gentium, vt *Ciliciæ*, &c. quorum intestinis discordijs demùm Christianorum in ipsorum regionibus degentium conditio facta est miserrima.

Eodem anno, eiecto *Michaele* 11 die Iulij, *Constantinopoli* imperare cœpit *Leo Armenus*.

Eodemq; anno, mortuo *Carolo* magno 28 die Ianuarij, *Francicus Imperator* successit eius filius *Ludouicus*; nondum tamen à Papâ Romano confirmatus.

A. 4820 m. 788 eu. *Papa Romanus Stephanus* quartus nuper electus, *Populo Romano* vt in verba *Ludouici Imperatoris* iuraret persuaso, iter ad eum in *Franciam* vsq; arripiens, *Rhemis* Imperatorem coronauit 29 die Augusti. Deinde verò, quasi

annis 245 postquàm Longobardi inuaserant Italiam; idem *Ludouicus* cognomento *Pius Ecclesiæ Romanæ* amplissimorum reditiuum *Donationem* ab auo Pipino & Carolo patre sibi concessam diplomate confirmauit; quam Pontificij donationem Constantini magni annis 490 antiquiorem esse hodiè iactitant. Hinc autem & *Romæ* inprimis & pleraruniq; aliarum ecclesiarum episcopi & pastores magnis opibus auctiq; lendis pigris ventribus plurimum indulserunt: ita vt ipsi qui debuerint esse tanquam *Luminaria*, magnâ luminis nimirum cognitionis sacrarũ adeoque bonarum literarum parte *defecerint*, atq; ecclesijs suis (etiam peragentes sacra ignotâ populo linguâ) magnas ignorantiæ tenebras induxerint.

A. 4824 m. 792 eu. interfecto *Leone Armeno* nocte consecutâ 25 diem Decembris, *Constantinopoli* imperare cœpit *Michael Balbus*.

A. 4826 m. 794 eu. *Sarracenis Asianis* duce *Thomâ Constantinopolitano* transfugâ obsidentibus *Cõstantinopolim*, *Hispanienses Sarraceni* occupatâ *Cretâ* vrbem Candace in eâ ædificarunt: vnde postea Creta appellata est *Candia*.

A. 4831 m. 799 eu. *Sarraceni Africani*

occuparunt *Siciliam*: posteaq; magnam partem *Italiæ*, præsertim in *Apulia* & *Calabria*. sed & in *Hispaniâ Galleciam* & reliquas *Christianorum* regiones atrociter infestarunt. Eodem anno *Mamonis Chaliphæ Bagdatini* iussu, *Ptolemæi* magnum opus *Astronomicum* siue *Almagestum* translatum est in linguam *Arabicam*.

Eodemq; anno *Egbrichtus* siue *Egbertus Anglosaxonum* rex, *Britanniam* olim prouincialem quasi redactam in monarchiam appellari *Angliam* edicto iussit. Circa idem verò tempus *Dani* cœperunt grassari in *Angliâ*.

A. 4833 m. 801 eu. *Sarraceni* ex *Africâ* traijcientes *Romæ* sacra & prophana diripuerunt: contra quos deinde *Papa Gregorius* IV. Ostiam Tiberinam iterum munijuit, & *nouam urbem* ad suburbium *Romæ* ædificauit.

Eodem anno mortuo *Michaele Balbo* 1 die Octob. *Constantinopoli* imperare cœpit *Theophilus* eius filius.

A. 4834 m. 802 eu. mortuo *Abdallâ*, *Damasci Chaliphæ* factus est *Mahumed* quartus.

A. 4836 m. 804 eu. mortuo Mamone, *Bagdatæ Chaliphæ* factus est *Muth*

A. 4840 m. 808 eu. *Northmanni Dani Frisijs* vastatis *Franciam* quoq; depopulati sunt. *Sarraceni* autem ingente horrore in *Italiâ* grassati sunt.

A. 4844 m. 812 eu. mortuo *Ludouico Pio* 20 die Iunij postquàm ab impijs filijs diu multumq; diuexatus fuisset, *Francorum Imperator* successit *Lotharius*: qui idem & duo alij *Ludouicus* atq; *Carolus* Cadmi fratres deinde internecino bello attriuerunt potentiam *Francorum*.

A. 4845 m. 813 eu. mortuo *Theophilo* 20 d. Ianuarijs *Constantinopoli* imperare coepit eius filius *Michael* tertius, cum matre *Theodorâ*. Sub idem verò tempus mortuo Muthcam, *Bagdata Chalipha* factus est *Aaron Elwathak*.

A. 4849 m. 817 eu. post Aaronem *Bagdata Chalipha* factus est *Muthacal*.

A. 4850 m. 818 eu. *Sarraceni* ex *Africâ* iterum traijcientes, suburbia *Romæ* depraedati sunt, templaq; præsertim Petri ac Pauli diuissimis anathematis ornata spoliarunt.

A. 4851 m. 819 eu. *Edelwolphus* pridem rex *Angliæ* ex monachi dispensatione *Papæ Romani* factus, primus ei concessit tributum appellatum *Petri denarios*.

A.4854 m.822 eu. *Carolus Caluus Frã-cia rex Northmannis* Franciam inuadentibus regni partem concedere coactus est, quæ inde appellata est *Normannia*.

A.4859 m.827 eu. mortuo *Papâ Romano Leone* IV. quasi triennio postquam nouam vrbem contra Sarracenos ad suburbium Romæ absoluerat & dedicauerat, creata est *Papissa Ioanna* meretrix mentita sexum pro Ioanne VIII, vt plurimi & grauissimi etiam Pontificij auctores asseruerunt: contra quos argumentum Onuphrij & Baronij aliorumq; ductum ex eo quod nonnulli in recensione Paparum (nimirum vt appareat pudore vel indignatione rei) eius nomen omiserunt, videtur minoris momenti. fertur autem post biennium, dum solennem pompam ageret, subitò oppressa partitudine in publico expiraſſe.

Eodem autem a.4859 m. 827 eu. mortuo *Lothario, Franciens Imperator* successit eius filius *Ludouicus* secundus: isq; ab eodem *Papâ Ioanne* siue *Papissa Ioanna* fertur coronatus esse.

Porro autem eodem anno *Constantinopolitanus Imperator Michael Theodoram* matrem imperij consortem in monasterium detrusit & interfecit.

A. 4865 m. 833 eu. interfecto Mathucal, *Bagdat a Chalipha* factus est *Mathazar*. Eoq; post annum mortuo, *Almastbain*.

A. 4871 m. 839 eu. interfecto *Michaele* tertio sub mensem Maium, *Cõstantinopoli* imperare cœpit *Basilius Macedo*. Eodem anno mortuus est *Nicolaus Romanus Papa* supra modum arrogans.

A. 4872 m. 840 eu. interfecto Almastbain, *Bagdat a Chalipha* factus est *Mathadi*.

A. 4873 m. 841 eu. mortuo *Mathadi*, *Bagdat a Chalipha* factus est *Muthumah*. Quo tempore mortuo etiam *Mahometi* IV. *Chalipha Damasci*, a. 40 regni, eiusq; Chaliphatu seditionibus discerpto, *Tolun* autem filio Achmad aut iure filij sui Achmad obtinente *Chaliphatum Egypti*, ut apparet, *Turcæ*, & ipsi Mahometicam superstitionem dudum amplexi, cœperunt invalescere in *Aremeniâ* ante 100 annos à se occupatâ, & hinc appellatâ *Turcomannia*; creato tunc rege *Selzuco*, quem plerique Haitone auctore 80 annis posteriùs creatum statuerunt. Hinc verò Chalipharum Sarracenorum successiones parum celebres vel certæ sunt.

Eodem autem anno *Constantinopoli*

A celebrata

celebrata est *Synodus* magna, & ipsa pro cultu *Imaginum*.

A. 4879 m. 847 eu. mortuo *Ludouico* II mense Augusto, *Francicus Imperator* factus est eius patruus *Carolus Caluus Francie* rex.

A. 4881 m. 849 eu. extincto *Carolo Caluo* 6 die Octobris, *Francicus Imperator* successit eius filius *Ludouicus Balbus*. Quo tempore *Papa Ioannes* IX à *Sarracenis Italiam* deuastantibus seq; adeò obsidentibus pacem redimere coactus est pacto tributo annuo 25 millium coronatorum.

A. 4883 m. 851 eu. mortuo *Ludouico Balbo* 10 die Aprilis, *Francicus Imperator* factus est *Carolus Crassus*.

A. 4885 m. 853 eu. *Duces Italie* conspiratione cum *Sarracenis* facta *Papæ* ingratijs Italiam vastarunt. contra quos Papa quum armis nil posset, interim dum Carolus Imperator suppetias ferret, excommunicationibus pugnauit.

A. 4890 m. 858 eu. quasi ineunte, mortuo *Basilio Macedone* circa initium Martij, *Constantinopoli* imperare cœpit eius filius *Leo Porphyrogenitus*. Sub quod tempus quædam nationes Scythicæ finibus suis egressæ, occuparũt permissu Basilij eas pro-

uincias

uincias quæ ab ipsis dictæ sunt *Seruia* & *Croatia*.

A. 4891 m. 859 eu. *Carolo Crasso* (qui primus annos à natiuitate Christi in scriptis vsurpari iussit) coacto abdicare imperio circa 12 diem Nouembris, *Germaniæ rex* & *Imperator* factus est *Arnulphus*. Contra quem eodem anno desmente, mense Ianuario *rex Burgundiæ* & *Imperator in Italia* appellatus est *Rodolphus* Conradi filius; qui deinde regnauit & imperauit annis 50. Porro autem eâdem tempestate *Berengarius* Eberhardi filius, à *Longobardis* principibus Ticini siue *Papia*, *Rex Italiæ* (posteáq; *Imperator*) appellatus est.

A. 4893 m. 861 eu. *Vngari* à *Leone Imperat. Constant.* trans Danubium accersiti contra *Bulgaros*, occuparunt inferiorem *Pannoniam* iam dictam *Hungariam*, quam Longobardos Hunnis reliquisse suprà dictum est.

A. 4895 m. 863 eu. quasi ineunte, sub initium Martij *Guido*, qui se appellauerat regem *Italiæ*, *Imperator Romæ* (adhuc viuentibus & imperatores se ferentibus Arnulpho Rodopho & Berengario) coronatus est à *Romano Papâ* nescio quo, an *Stephano* quinto mox deinde mortuo, an

mosi. Enimuerò hoc tempore ſicut ſtatus *Romani imperij* in *Occidente*, ita etiam *Papatus* fuit turbatiſſimus; adeo vt Baronius quoq; cogatur fateri ne ipſos quidē Pontificios ſcriptores monſtrare certam ſeriem *Paparum* (ſcilicet ſucceſſorum cathedræ Petri Romæ) hinc per annos plus minus quatuordecim; ac Platina non modò *vnà cum induſtriâ Imperatorum defeciſſe veritatem & integritatem Papatus*, ſed etiam cum intra decennium decem vel duodecim Papæ quaſi ſimul orti & aborti ſint, *Deum eos tanquam membra breui ſuſtuliſſe*, quaſi elogio pronunciet, & ipſorum monſtroſæ nequitiæ cauſam fuiſſe *nimiam opulentiam* ingenuè agnoſcat.

A. 4900 m. 868 eu. mortuo *Guidoni Imperatori Romano* ſucceſſit filius *Lambertus*, ante mortem patris coronatus à *Formoſo Papâ*.

A. 4903 m. 871 eu. mortuo *Arnulpho Imperatore* 29 die Nouembris ſucceſſit eius filius *Ludouicus*, qui quum à *Papa Romano* nunquam coronatus ſit, à Pontificijs neutiquam habetur in numero Imperatorum. Circa idem verò tempus (vt quidam retulerunt iam occiſo Lamberto Imperatore Romano) imperium vſurpauit *Ludo-*

uicus

nicus Bosonis regis Provincie filius; qui postea coronatus est à Papâ.

A. 4908 m. 876 eu. Ludovicus Bosonis filius Imperator in Italiâ à Berengario captus, oculisq; ac imperio simul privatus est; adhuc superstite Lamberto imperi æmulo, occiso demùm sexto posthæc anno, vt ex Luitprando à nonnullis colligitur.

A. 4912 m. 880 eu. (vel triennio postea iuxta quosdã) mortuo Leone Porphyrogenito Imperatore doctissimo circa initium Iunij ac Pentecosten, Constantinus imperare cœpit Alexandri eius fratris & Constantinus Porphyrogenitus filius adhuc puer. Verum Alexandro post annum mortuo 7 die Iunij, Constantinus imperat cum matre Zoë ad annos 12 ferè.

A. 4915 m. 883 eu. tendente ad finem circa finem Decembris mortuo Ludouici Arnulphi imperatoris filio ac postremo imperatore ex stirpe Caroli magni, Imperator electus est Conradus Conradi ducis Franconiæ filius. sed nec ipse à Papâ omnino coronatus est. Hoc autem tempore Theodora scortum impudentissimum cum Marozia filiâ sui similis de Papatu Romano pro libito statuit, quorum Nothi postea

Papæ

Papæ fuisse perhibentur *Ioannes* XI & XII.

A. 4919 m. 887 eu. in *Gallæciâ Hispaniæ Ordonius* primus rex *Legionensis* exstitit.

A. 4923 m. 891 eu. mortuo *Conrado* 23 die Decembris, à *Germaniæ* ducibus & principibus *Imperator* electus *Henricus Aucep Saxoniæ* dux Ottonis filius, *Imperium Occidentis* à *Francis* transtulit ad *Saxones*. quanquam neq; hic à *Papâ* coronatus est.

Eodem anno aut sequente, mense item Decembre *Constantinopoli Romanus Lacapenus* ductâ in vxorem *Zoë Constantini Imperatoris* matre in Imperij consortium assumptus est.

A. 4927 m. 895 eu. circa initium mensis Ianuarij *Berengarius Italiæ* rex, & *Imperator* quondam appellatus, à suis interfectus est. His temporibus *Hungari* in Germaniâ Italiâ & Franciâ longè lateq; grassati sunt.

A. 4940 m. 908 eu. mortuo *Henrico Aucupe* 2 die Iulij, *Germaniæ Imperator* creatus est eius filius *Otto magnus*.

A. 4943 m. 911 eu. *Ramiro* rex *Legionis* siue *Gallæciæ* in Hispaniâ acie cecidit & profligauit ingentes copias *Sarracenorum*

nicus Bosonis regis *Prouincie* filius; qui posteà coronatus est à *Papâ*.

A. 4908 m. 876 eu. *Ludouicus Bosonis* filius *Imperator* in Italiâ à *Berengario* captus, oculisq; ac imperio simul priuatus est; adhuc superstite *Lamberto* imperij æmulo, occiso demùm sexto posthæc anno, vt ex Luitprando à nonnullis colligitur.

A. 4912 m. 880 eu. (vel triennio posteà iuxta quosdã) mortuo *Leone Porphyrogenito Imperatore* doctissimo circa initium Iunij ad Pentecosten, *Constantinus* imperare cœpit *Alexandro* eius fratre & *Constantini Porphyrogenitæ* filio adhuc puer. Verùm *Alexandro* post annum mortuo 7 die Iunij, *Constantinus* imperauit cum matre *Zoe* ad annos 12 ferè.

A. 4915 m. 883 eu. tendente ad finem, circa finem Decembris mortuo *Ludouici Arnulphi* imperatoris filio ac postremo imperatore ex stirpe Caroli magni, *Imperator* electus est *Conradus Conradi Franconis* filius. sed nec ipse à *Papâ* omnino coronatus est. Hoc autem tempore *Theodora* scortum impudentissimum cum *Marozia* filiâ sui simili de *Papatu Romano* pro libito statuit, quorum *Nothi* postea

Papa

Papæ fuisse perhibentur *Ioannes* XI & XII.

A. 4919 m. 887 eu. in *Gallæciâ Hispaniæ Ordonius* primus rex *Legionensis* exstitit.

A. 4923 m. 891 eu. mortuo *Conrado* 23 die Decembris, à *Germaniæ* ducibus & principibus *Imperator* electus *Henricus Auceps Saxoniæ* dux Ottonis filius, *Imperium Occidentis* à *Francis* transtulit ad *Saxones*. quanquam neq; hic à *Papâ* coronatus est.

Eodem anno aut sequente, mense item Decembre *Constantinopoli Romanus Lacapenus* ductâ in vxorem *Zoë Constantini Imperatoris* matre in Imperij consortium assumptus est.

A. 4927 m. 895 eu. circa initium mensis Ianuarij *Berengarius Italiæ* rex, & *Imperator* quondam appellatus, à suis interfectus est. His temporibus *Hungari* in Germaniâ Italiâ & Franciâ longè lateq; grassati sunt.

A. 4940 m. 908 eu. mortuo *Henrico Aucupe* 2 die Iulij, *Germaniæ Imperator* creatus est eius filius *Otto magnus*.

A. 4943 m. 911 eu. *Ramiro* rex *Legionis* siue *Gallæciæ* in Hispaniâ acie cecidit & profligauit ingentes copias *Sarracenorum*

runt 19 die Iulij quo ecclipsis Solis ac cidit.

A. 4945 m. 913 eu. *Russi* magnâ classe ad vrbem *Constantinopolitanam* appulerunt 14 die Iunij. sed aliquot prœlijs victi & repulsi sunt.

A. 4948 m. 916 eu. *Constantinopolitanus Imperator Romanus Lacapenus* à *Stephano* filio suo, quem etiam cum cæteris filijs Imperatorem coronari curauerat, Imperio priuatus est 16 die Decembris. Deinde autem ipso *Stephano* capto & in exilium acto circa 20 diem Ianuarij, *Constantinus Porphyrogenitus* demùm solus imperio potitus est.

A. 4955 m. 923 eu. *Otto Imperator* à *Agapeto Papâ* accersitus in *Italiam*, eius regno pulsis Berengario iuniore huiusq; filio Adelberto potitus est.

A. 4963 m. 931 eu. mortuo *Constantino Porphyrogenito* 9 die Nouembris *Constantinopoli* imperare cœpit *Romanus Porphyrogenitus* eius filius.

A. 4965 m. 933 eu. *Otto* Germanicus Imperator denuò receptâ Italiâ *Romæ* coronatus est 25 die Decembris in festo Natalitio Domini, à *Papâ Ioanne* XIII, omnium ante se longè spurcissimo & nequissimo ac planè monstro, vt de eo testa-

Platina

Platina. Ipsum autem, quum antea diceretur Octauianus, primum susceptо *papatus nomen mutasse* referunt Pontificij.

Eodem anno *Constantinopolitanus Imperator Romanus Porphyrogenitus*, Nicephoro Phocâ belli duce, insulam *Cretam* siue *Candiam* recuperauit, eiectis *Sarracenis* postquam 140 annis eam obtinuerant. Anno autem sequente idem Nicephorus Sarracenos vicit in Syriâ.

A. 4967 m. 935 eu. quasi incunte, mortuo *Romano Porphyrogenito* 16 die Martij, sequente 2 die Iulij *Constantinopolitanus Imperator* creatus est *Nicephorus Phocas*: qui deinde eâdem æstate vicit Sarracenos magno prœlio in Ciliciâ.

A. 4968 m. 936 eu. *Otto Germaniæ Imperator* quum *Romani* fidem datam ei fefelliſſent, & Papâ Ioanne XIII periuro ab ipso eiecto indeq; post reditum Romæ in adulterio deprehenso & interfecto, alium *Papam* nomine *Benedictum* V contra *Leonem* VIII ab eodem nominatum elegissent; *Romam* aduenienis adêmit illis potestatem eligendi *Papæ*, *Leone* restituto & Benedicto in exilium misso.

Eodem anno *Nicephorus Phocas Imperator Constantinopolitanus Cyprum Sarracenis* iterùm eripuit; atq; *Tarso*, *Mopsuestiâ*

ſtiâ & *Antiochiâ Syriæ* expugnatis eos eiecit.

A. 4973 m. 941 eu. interfecto *Nicephoro Phocâ* 11 die Decembris, *Conſtantinopoli* imperare cœpit *Ioánnes Zimiſces.*

A. 4977 m. 945 eu. mortuo *Ottone magno* 7 die Maij, *Germaniæ Imperator* ſucceſſit eius filius *Otto* ſecundus. Hoc tempore *Edgarus* fuit rex *Angliæ.*

A. 4979 m. 947 eu. mortuo *Ioanne Zimiſce*, cum *Damaſcum* vſque victor proceſſiſſet contra *Sarracenos*, 4 die Decembris, *Conſtantinopoli* imperare cœpit *Basilius filius Porphyrogenitus* Romani filius cum *Conſtantino* fratre.

A. 4986 m. 954 eu. *Imperator Germaniæ Otto* II prœlio congreſſus cum *Conſtantinop. Imperatoribus* vxoris ſuæ fratribus, qui Calabriam & Apuliam in *Italiâ* (anteà à patre ſuo occupatas) receperant, & *Sarracenorum* auxiliaribus copijs defendebant, ad Beneuentum Calabriæ victus Romanorum proditione 15 die Iulij, ac fugâ elapſus ad mare à Piratis captus eſt. ſed cum non agnoſceretur, paruo precio ſe redemit. Poſtea verò redintegrato prœlio cum Sarracenis, adeo eos concidit & ad internecionem vſque deleuit, vt

cog-

cognominatus sit *Pallida mors Sarracenorum.*

A. 4987 m. 955 eu. *Ottone* II mortuo die 7 Decembris, *Germaniæ Imperator* successit eius filius *Otto* tertius, puer decennis; ob magnam sapientiam illà ætate, dictus *Mirabilia mundi.*

A. 4991 m. 959 eu. mortuo *Ludouico* rege *Franciæ*, postremo è *Pipini* stirpe, regnum occupauit *Hugo Capetus* comes *Parisiensis.* Circa idem tempus *Bardas* quidam cognomento *Phocas Constantinopoli* imperium vsurpauit: qui biennio posteà mortuus est.

A. 4996 m. 964 eu. in concilio *Rhemis Franciæ* habito, quum à quibusdam expeteretur *Romani Papæ* iudicium, publicè responsum est ab episcopis, præterquàm quod vrbs ipsa venalis exposita esset, *Romæ iam nullum ferè esse qui literas didicerit.* Vsque adeo *Luminare* illud supra septem montes positum & supra omnes Ecclesias Christi se efferens defecerat eo seculo.

A. 5000 m. 968 eu. *Germaniæ Imperator Otto* III, *Romæ* captis & interfectis *Crescentio* qui Imperium & *Ioanne* qui Papatum vsurpauerant, contra se & *Brunonem* cognatum suum à se creatum *Papam Gregorium* V, cum eo in frequente *Synodo* sanxit,

fanxit, vt penes *principes Germaniæ* ciuiles & eccleſiaſticos, eoſq; ſolos eſſet ius ac poteſtas *eligendi Imperatorem*. Itaq; tunc inſtituti ſunt *Imperatorũ Electores in Germaniâ*: an verò illi *Septemuiri* penes quos *Electoratus* ius nunc eſt, (nempe *Comes Palatinus* ad Rhenum, *Dapifer*; *Dux Saxoniæ*, *Mareſchallus*; *Marchio Brandoburgenſis*, *Camerarius*; præter *Archiepiſcopi*, *Moguntinum*, *Colonienſem*, *Treuirenſem*, atq; *Regem Bohemiæ*;) à nonnullis controuerſum eſt.

A. 5003 m. 971 eu. *Germaniæ Imperator Otto* III in Poloniam profectus *Boleſlaum* creauit *Poloniæ* regem.

A. 5004 m. 972 eu. extincto *Ottone* III veneno dato *Romæ* 28 die Ianuarij, *Germaniæ Imperator* electus eſt *Henricus* cognomento Claudus, & Sanctus, *Bauariæ* dux, Henrici Aucupis abnepos.

A. 5007 m. 975 eu. mortuo *Papa Syluestro* II, illo ob magiam famoſiſſimo, ſucceſſit *Ioannes* XVIII: qui primus fertur conatus transferre poteſtatem eligendi *Papæ*, non modò ab Imperatore, ſed etiam à Populo & Clero Romano ad aliquot *Cardinales*. Fertur autem auctore Bennone Cardinale, omnes *Papas Romanos* numero 18 à *Syluestro* II vſque ad

Gre-

Gregorium VII fuisse *magos & necromantas.*

A. 5014 m. 982 eu. (vel vt quidam retulerunt præcedente, vt alij sequente,) *Sarraceni* auspicijs *Hequen* siue *Hacam Chalipha Ægypti* occupatis *Hierosolymis*, Christianorum templum ædificatum ad Sepulcrum Christi & cœnobium ibi euerterunt.

Eodem anno in *Hispaniâ Ferdinandus Legionum* regnum vniuit *Castellæ*, seq; regem Castellæ & Legionum edicto appellauit.

A. 5018 m. 986 eu. *Henricus Clandus Imperator Germaniæ* deuicto & interfecto anno præcedente Arduino electo ab Italis Imperatore, à *Papâ Romano* coronationem siue confirmationem stipulatus est pacto è reditibus ecclesiæ Bambergensis annuo donario centum marcarum argenti cum equo albo Phalerato. Deinde autem in Apuliam profectus, *Græcos & Sarracenos* de finibus concertantes simul ex Apuliâ Calabriâ Campaniâ & Piceno expulit, omnesq; eas regiones Imperio suo reddidit.

Eodem anno *Suenо Danorum* rex potitus est regno *Angliæ*. Eoq; paulò postea mortuo *Canutus* ipsius filius.

A. 5028 m. 996 eu. mortuo *Henrico Claudo* 13 die Iulij, *Germaniæ Imperator* factus est *Conradus Saliquus*.

A. 5029 m. 997 eu. mortuo *Basilio Porphyrogenito* (postquam *Bulgaros* sub potestatẽ redegerat & *Iberos* subiecerat) mense Decembre, *Constantinopoli* imperauit solus *Constantinus* eius frater.

A. 5032 m. 1000 eu. mortuo *Constantino* fratre Basilij Porph. 12 die Nouembris, *Constantinopoli* imperare cœpit *Romanus Argyrus* siue *Argyropylus*, illius gener.

A. 5035 m. 1003 eu. *Romanus Argyrus* icto fœdere cum *Dobria* siue *Dobri* filio Hacam *Chaliphâ Ægyptio*, cæteros Sarracenos ex Syriâ eiecit: posteáq; Edessam Mesopotamiæ ab ijs recepit; ac eiusdem Chaliphæ permissu restaurauit Christianorum templum Hierosolymis.

A. 5036 m. 1004 eu. *regnum Burgundiæ* (ad quod pertinuisse dicitur Archiepiscopatus Treuirensis) mortuo Rodolpho rege decimo à primo Rodolpho, annis 144 ab eius regni & imperij initio, redditum est *Germaniæ* imperio.

A. 5038 m. 1006 eu. extincto *Romano Argyro* 15 die Aprilis, *Constantinopoli* imperare cœpit *Michael Paphlago*.

A. 5041 m. 1009 eu. *Michael* factâ pace cum *Sarracenis* Aegyptijs & Asiaticis, recepit *Siciliam.*

A. 5043 m. 1011 eu. mortuo *Conrado Salique* 4 die Iunij, *Germaniæ Imperator* succeſſit eius filius *Henricus Niger.*

A. 5045 m. 1013 eu. mortuo *Michaele Paphlagone* (poſt amiſſam denuò *Siciliam Sarracenis* Africanis) 10 die Decembris, *Conſtantinopoli* imperare cœpit *Michael Calaphates.*

A. 5046 m. 1014 eu. *Michaele Calaphate* amoto ab imperio à *Zoë* Imperatrice 21 die Aprilis, eâdem fermè ſeptuagenariâ vxore ductâ *Conſtantinopoli* imperare cœpit *Conſtantinus Monomachus.*

A. 5054 m. 1022 eu. *Turcæ* duce *Togrâ Mucaletâ* ſiue Michaelidâ (qui & Tangrolipix), *Perſiæ Sultaniâ* potiti ſunt, vtpote 170 annis ante Changyis Chanis expeditionem.

A. 5059 m. 1027 eu. mortuo *Conſtantino Monomacho* 30 die Nouembris, *Conſtantinopoli* imperauit eius vidua aut Zoës ſoror *Theodora.*

A. 5060 m. 1028 eu. mortuâ vel amotâ imperio *Theodorâ*, vltimo die Auguſti *Conſtantinopoli Imperator* creatus eſt *Michael Stratioticus.*

Eodem anno mortuo *Henrico Nigro* 5 die Octobris, *Germaniæ Imperator* successit eius filius *Henricus* quartus puer sexennis, sub tutelâ Archiepiscoporum Colonienſis & Bremenſis.

A. 5061 m. 1029 eu. *Michaele Stratiotico* abdicante Imperio circa finem Augusti, *Constantinopoli* imperare cœpit (antè 8 die Iunij appellatus imperator) *Isaacius Comnenus.*

A. 5062 m. 1030 eu. *Robertus Guiscardus Nordmannus* plus minus quinquennio rerum potitus in *Apuliâ & Calabriâ*, pulsis *Sarracenis Siciliam* occupauit; eamque fratri *Rogerio* donauit. Biennio autem posteà idem, *Apuliæ & Calabriæ Comes* (dejecto Bagellardo puero hærede legitimo) à *Papâ Nicolao* II appellatus est.

Interea verò idem *Papa Romanus* collectis *Romæ* in conciliabulum 114 episcopis, *Berengarium* qui se opposuerat opinioni haud ita pridem receptæ de *Transſubſtantiatione* elementorum Sacramentalium panis & vini in cœnâ Domini, in ipsum corpus & sanguinem Christi, damnauit & palinodiam canere coegit.

A. 5065 m. 1033 eu. contra Papam Romanum (extincto Nicolao II) ab *Imperatori*

perature Germania Henrico IV electum constituto altero 1 die Octobris à clericis *Cardinalibus Ecclesia Romanæ* (præcipuâ operâ *Hildebrandi Cardinalis* necromantici), qui deinde appellatus *Romanus Pontifex Alexander* II, vi & armis *Antipapam* cum exercitu militari *Romæ* in pratis *Neronianis* cruento prœlio profligatum cedere coegit; cœpta est stabiliri *Tyrannis Romanorum Pontificum Antichristianorum*, incolis orbis terrarum nimis calamitosa & luctuosa. Hinc autem, sancitâ iam Transsubstantiatione æquè contra fidem ac rationem atq; sensus, præcedentis annorum 245 intervalli tenebris siue ignorantiæ simplicis negationis vt loquuntur, superinducta est altera deterior ignorantia pravæ dispositionis, nempe argutorum errorum falsóq; appellatæ cognitionis barbarorum *Sophistarum* & *Scholasticorum fumus*. quo tempore, nimirùm quando eiusmodi philosophia secularis (vti scribit Tritthemius) sacram Theologiam suâ curiositate inutili fœdare cœpit, ipse *Sol* languidâ & contaminatâ luce apparuisse dicitur.

Eodem anno ad finem tendente, *Isaacio Comneno* abdicante imperio, circa initium

Ianuarij, *Constantinopoli* imperare cœpit *Constantinus Ducas*.

A. 5066 m. 1034 eu. mense Octobri *Pontifex Romanus Alexander* II concilio *Mantuæ* celebrato *Papam Honorium* II ab *Imperatore* electum damnauit, & *Pontificem* à solis *Cardinalibus* eligendum decreuit.

A. 5070 m. 1038 eu. *Pontifex Alex.* concilio iterùm Mantuæ celebrato, Imperatori potestatem eligendi Pontificem abrogauit.

Eodem anno, 14 die Octobris *Guilelmus dux Normanniæ* in Franciâ, Roberti ducis filius, magnâ pugnâ deiecto & occiso rege Haraldo, potitus est *regno Angliæ*.

A. 5071 m. 1039 eu. mortuo *Constantino Ducâ* 5 die Iunij, *Constantinopoli* imperare cœpit eius filius *Michael Ducas*.

A. 5072 m. 1040 eu. quasi ineunte, *Michaele Ducâ* coacto abdicare, *Constantinopoli* imperare cœpit *Romanus Diogenes*. Quo imperante *Turcarum* vires vehementer creuerunt, occupatâ *Syriâ* & multis alijs locis in Asiâ.

A. 5075 m. 1043 eu. *Romano Diogene* capto à *Turcis*, & postquàm ab ijs dimissus esset, non admisso à suis, circa initium

Octobris *Constantinopoli* iterùm *Imperator* creatus est *Michael Ducas* cognomento *Parapinacius*.

A. 5077 m. 1045 eu. mortuo *Alexandro* II, 21 die Aprilis, eodem die *Pontifex Romanus à Cardinalibus* aliquot creatus est *Hildebrandus* ille sacer nebulo, inde appellatus *Gregorius* septimus: qui mox Cœlibatũ castitatis nomine omnibus clericis mandauit; vnde maximi in ecclesiâ oborti sunt tumultus.

A. 5081 m. 1049 eu. *Pont. Gregorius Henricum Imperatorem*, quod non renunciaret iuri patronatus episcopatuum, siue inuestiturę, id est, electionis vel potius approbationis episcoporum; tanquam Simoniacum anathemate percussit, ac deijciendum imperio pronunciauit. Vnde quamlibet se submittente Henrico alius *Imperator Rodolphus* electus est; cui mox Gregorius coronam misit hâc inscriptione; *Petra dedit Petro Petrus diadema Rodolpho.* Atq; ita furia hæc Pontificia pro pace quã Petra reliquit Petro & suis, belli ansam ac tanquam Eridis malum subditis suis subministrauit. Verùm *Rodolphus* quarto pòst anno in prœlio amputatâ dextrâ quâ fidẽ Henrico datam fefellerat, quarto inde die ex vulnere mortuus est.

A.

A. 5082 m. 1050 eu. quasi ineunte, *Constantinopoli Imperator* creatus est *Nicephorus Botoniates.*

A. 5084 m. 1052 eu. *Henricus Imper.* concilio *Brixia* habito, contra Gregorium Pontificatu indignum iudicatum 25 die Iunij *Antipapam* curauit eligendum *Clementem* III.

A. 5085 m. 1053 eu. *Nicephoro Botoniate* amoto ab imperio, initio Aprilis *Constantinopoli Imperator* creatus est *Alexius Comnenus.*

A. 5089 m. 1057 eu. circa finem Maij mortuus est *Pont. Gregorius* VII moerore animi quòd anathemata & machinamenta sua contra Henricum Imper. frustrà essent. Posteà *Pontifex Romanus* creatus est *Victor* III qui imperatoris partes oppugnaret.

A. 5092 m. 1060 eu. quasi ineunte, post mortem *Victoris* III, *Pontifex Romanus* creatus est *Vrbanus* II; qui & ipse acta Gregorij VII tum alia, tum contra Imper. Henricum confirmauit ac propugnauit: insuperq; mandatum de abstinentia à carnibus Ieiunij nomine ex se addidit. idemq; *Rogerium Apulia* Ducem *Comitis Sicilia* titulo ornauit.

Eodem anno *Alfonsus* rex *Castellæ* &

Legionis

Legionum Sarracenos è regno Toletano eiecit.

A. 5103 m. 1071 eu. (habito ante quadriennium concilio *Claromonte* in *Franciâ*) *Romani Pontificis* turbis bellicis & homicidijs gaudentis hortatu *Franci* alijque *Europæi Christiani Cruce* laneâ rubrâ ab eo acceptâ *signati*, ingente numero factâ in Orientem expeditione (quam portentosâ *Locustarum* multitudine ab Occidentis partibus eódem pergentium fuisse præsignificatam refert Zonaras); *Iudæa & Hierosolymorum* (quas præter Antiochiam ante annos 14 à Constantinop. Imperatore amissam, Edessam, Seleuciam, aliaque plurima loca in Syriâ & Asiâ à *Sarracenis* & *Turcis* recuperarant) Regem constituerunt *Godfridum Bullouium* Lotharingiæ Ducem, 22 die Iulij. Eodem autem anno mortuo *Vrbano* II, mense Augusto *Pontifex Romanus* creatus est *Paschalis* II, & ipse bellator strenuus ac in turbando orbe terrarum præsertim Germaniâ & Italiâ nulli cedens. Eodemq; anno mense Octobre cometa Xiphias siue ensis figurâ cœlo arsit. Fertur autem hic *Paschalis* omnium primus omissis annis Imperatoris quos consuetum erat aſcribere, sui *Pontificatus*

annos

annos in epistolis siue reseriptis suis substituisse. *Antipapis* verò, *Clemente* III, mortuo primo anno Pontificatus sui; indeq; *Theodorico* intra paucos menses, ac *Sylvestro* III intra annum pessum euntibus, solus rerum summâ potitus est.

A. 5110 m. 1078 eu. mortuo *Henrico* IV, 7 die Augusti, postquam imperio exturbatus & ad summam inopiam redactus erat ab *Henrico* filio, quem scilicet pius & sanctus vel potius sacer *Pontifex Paschalis* contra patrem concitauerat, sicut antea Vrbanus Conradum eiusdem filium; *Germaniæ Imperator* successit idem *Henricus* V. qui deinde Pontifices nihilo benigniores sibi, quàm *patri suo* fuissent, expertus est.

A. 5121 m. 1089 eu. mortuo *Paschali* II, 25 die Ianuarij *Pontifex Romanus* creatus est *Gelasius* II. Contra quem *Imper. Henricus* Burdinum episcopum Bracharensem creauit *Antipapam* appellatum *Gregorium* VIII.

A. 5122 m. 1090 eu. mortuo *Alexio Comneno* 15 die Augusti, *Constantinopoli* imperare cœpit eius filius *Caloioannes Comnenus*.

Eodem anno ad finem tendente mortuo *Gelasio* II, 31 die Ianuarij *Pontifex Roma-*

nus creatus est *Calixtus* siue *Calistus* II, regi *Francie* sanguine iunctus.

A. 5123 m. 1091 eu. *Romanus Pontifex Calixtus* II cõcilio *Rhemis Francie* habito, Gregorij VII & cæterorum deinceps Pontificum acta præsertim contra Imperatorum aliorumq; Principum ciuilium siue laicorum *ius investiturę Episcoporum* confirmauit, ipsumq; *Imperatorem Henricum V*, inducias petere, ac tandem cedere coegit: *Antipapam* autem ab eo creatum, captum & pelle vrsinâ tectum cameloq; retrorsùm impositum ac *Cæsaris idolum* appellatum, tanquam in triumpho duxit: atq; ita *Romanorum Pontificum Tyrannidem* planè stabiliuit, exactis bis 360 annis ab inclinatione imperij Romani.

A. 5128 m. 1096 eu. *Tyrus* à Christianis Europæis 29 die Iunij expugnata est.

Eodem anno mortuo *Calixto* II, mense Decembre, *Pontifex* non sine dolo ac contentione creatus est *Honorius* II.

A. 5129 m. 1097 eu. mortuo *Henrico* V, 23 die Maij, *Germaniæ Imperator* creatus est *Lotharius* II, Saxoniæ dux.

A. 5134 m. 1102 eu. quasi incunte, mortuo *Honorio* II, sub finem Februarij, *Pontifex* creatus est *Innocentius* II, & alius

lius in schismate appellatus *Anacletus* II.

A. 5142 m. 1110 eu. mortuo *Lothario Saxone* 6 die Decembris, postquàm Italiâ expulisset *Rogerium Apuliæ* ducem qui vicesimo ferè anno antea se appellauerat regem Italiæ & Siciliæ, 1 die Aprilis anni insequentis *Germaniæ Imperator* creatus est *Conradus* III *Suevus*.

A. 5143 m. 1111 eu. quo imperator creatus est Conradus III, mortuo *Anacleto* II, ac deinde post mensem 5 abdicante *Victore* IV, *Antipontificibus*, *Innocentius* II sedem pacatè obtinuit. Verùm *Rogerius Siciliæ* rex recepit *Apuliam* & *Calabriam*; biennioq; posteà captum *Pontificem* earum regem appellare se coegit.

A. 5147 m. 1115 eu. mortuo *Calixtino* mense Aprili, *Constantinopoli* imperare cœpit *Emmanuel Comnenus*.

Eodem anno mortuo *Innocentio* II, 14 die Septembris *Pontifex* creatus est *Cœlestinus* II.

A. 5148 m. 1116 eu. mortuo *Cœlestino* II, 22 die Martij *Pontifex* creatus est *Lucius* II.

A. 5149 m. 1117 eu. quasi imeunte, mortuo *Lucio* II, postquàm lapide in seditione à ciue Romano percussus esset, 15 die Martij *Pontifex* creatus est *Eugenius*

III,

III, *Bernardi Abbatis* discipulus.

A. 5151 m. 1119 eu. à Germaniæ Imperatore *Conrado Sueuo*, & rege Galliæ *Ludouico* expeditio in *Palæstinam* suscepta est, quæ effectu caruit.

Eodem verò anno *Alfonsus* ab *Anglis* Flandris & Lotharingis classe adiutus, *Portugalliæ* magnâ ex parte à *Sarracenis* recuperatæ regno cum regio titulo ante aliquot annos parto potitus est.

Circa a. 5155 m. 1123 eu. *Gratianus Monachus* edidit *Decretum Pontificium* congestum & compilatum è Pontificijs Canonibus, præcipuè ex Pannormiâ Iuonis Carnotensis episcopi editâ ante annos ferè 60.

A. 5156 m. 1124 eu. quasi ineunte, mortuo *Conrado Sueuo*, 4 die Martij *Germaniæ Imperator* creatus est *Fridericus*, eius ex fratre nepos, cognomento *Barbarossa*.

A. 5157 m. 1125 eu. mortuo *Eugenio* III, 10 die Iulij *Pontifex* creatus est *Anastasius* IV.

A. 5158 m. 1126 eu. mortuo *Anastasio* IV, 3 die Decembris *Pontifex* creatus est *Adrianus* IV natione Anglus. Is est, qui *Imperatorem Fridericum* petentem coronationem, quod sibi in equum ascen-

suro

furo sinistrum stapedem pro dextro teneret, reiecit in aliud tempus donec illo officio ritè fungeretur. Paulò autem post coronationem Romæ quendam publicè exuri iussit quòd diceret regnum præferendum sacerdotio.

A. 5163 m. 1131 eu. suffocato *Adriano* ex muscæ volatu in os, paulò postquàm *Imperatorem* anathemate percussisset, 31 die Augusti; in successore eligendo schisma ortum est, his *Victorem* IV, illis *Alexandrum* III eligentibus. illum Imperator approbauit, hunc reges Franciæ & Angliæ. vterq; verò alterum anathemate execratus est.

A. 5168 m. 1136 eu. mortuo *Victore* IV, mense Aprili, *Pontifex* in schismate creatus est *Calixtus* III.

A. 5173 m. 1141 eu. *Saladinus Turca* potitus *Ægypto*, *Chaliphâ* oppresso Aegypti *Sultanus* appellatus est.

Eodem anno mortuo *Calixto* III, *Pontifex* in schismate creatus est *Paschalis* III.

Circa a. 5175 m. 1143 eu. *Petrus Lombardus* Episcopus Parisiensis edidit quatuor libros *Sententiarum*. Cuius frater nothus fuisse fertur *Petrus Comestor* auctor historiæ *Scholasticæ*.

A.

A. 5176 m. 1144 eu. *Anglie* rex *Henricus* secundus potitus est *Hibernia*.

A. 5181 m. 1149 eu. 26 die Iunij *Pontifex Alexander* III, biennio postquàm *Paschalem Antipontificem* abdicare coegerat, *Frederici Imperatoris* Venetijs ob captum à Venetis Ottonem filium supplicis facti atq; in terram prouoluti *collo pedes* imponere non hæsitauit. eousque superbiæ euaserat successor Petri.

A. 5184 m. 1152 eu. mortuo *Emmanuele Comneno* 3 die Octobris, *Constantinopoli* imperare cœpit ejus filius *Alexius Iunior*.

A. 5185 m. 1153 eu. mortuo *Alexandro* III, 28 die Augusti *Pontifex* creatus est *Lucius* III.

A. 5187 m. 1155 eu. interfecto *Alexio Iuniore* circa mensem Octobrem, *Constantinopoli* imperium vsurpauit *Andronicus Comnenus*, Isaaci filius.

A. 5189 m. 1157 eu. interfecto *Andronico Comneno* circa medium Septembris ac mensem postquam *Gulielmus Siciliæ* rex *Thessalonicam* ei eripuerat, *Constantinopoli* imperare cœpit *Isaacius Angelus*.

Eodem anno mortuo *Lucio* III, circa 9 diem

diem Decembris *Pontifex* creatus est *Vrbanus* III.

A. 5191 m. 1189 eu. 2 die Octobris *Saladinus Turca* Aegypti Sultanus, post deditam Galilæam, Ptolemaidem, Berytum, Byblum, à Christianis Latinis recuperauit etiam *Hierosolyma*.

Eodem anno mortuo *Vrbano* III 24 die Octobris mœrore ob nuncium captæ vrbis Hierosolymitanæ, *Pontifex* creatus est *Gregorius* VIII. Eoq; extincto 25 die Decembris, 4 die Ianuarij creatus est *Pontifex Clemens* III.

A. 5194 m. 1162 eu. *Frederico Barbarossâ* post susceptam cum validissimo exercitu & multis Principibus expeditionem in *Orientem*, ac recuperatam à Turcis totam Ciliciam, resq; felicissimè gestas in *Armeniâ*, dum cupidius victoriam contra Saladini filium persequeretur præcipitato ex equo in fluuio Saphet siue Selephio 10 die Iunij paulóq; post mortuo, *Germaniæ Imperator* creatus est eius filius *Henricus sextus*.

Eodem autem anno *Philippus Franciæ* & *Richardus Angliæ* reges *Hierosolymitanam* expeditionem susceperunt.

A. 5195 m. 1163 eu. mortuo *Clemente* III, 29 die Martij *Pontifex* creatus est

Cœle-

Cœlestinus III. Quo anno receptâ *Ptolemaide Europæi Principes* ex dissensione domum redierunt, excepto *Richardo* qui ad sequentem annum substitit.

A. 5199 m. 1167 eu. electo *Isaacio Angelo* 10 die Aprilis, *Constantinopoli* imperium occupauit *Alexius Angelus* eius frater.

A. 5201 m. 1169 eu. *Henricus* VI *Imper.* misit ingentem exercitum in *Palæstinam:* qui victis acie *Turcis Berytum* recepit.

Eodem anno mortuo *Cœlestino* III, 8 die Ianuarij *Pontifex* creatus est *Innocentius* III.

A. 5202 m. 1170 eu. extinctus est *Henricus* VI *Imperator Germaniæ*, 29 die Septembris. cuius rei nuncio exercitus ab ipso missus in Palæstinam dilapsus est.

A. 5203 m. 1171 eu. quasi ineunte, 8 die Martij ab Electorum aliquibus *Germaniæ Imperator* appellatus est *Philippus* Sueuus Frederici Barbarossæ filius, ab alijs verò instigatione *Pontificis* eodem mense *Otto* dux *Brunsuicensis:* vnde iterùm bello intestino afflicta est Germania.

A. 5207 m. 1175 eu. *Tatarorum* rex appellatus est *Tamuchan:* indeq; nomen

Tatarorum siue *Tartarorum* in *Asiâ* cœpit inclarescere.

Eodem anno à *Venetis* & *Francis* obsessâ *Constantinopoli Alexius Angelus Imperator* aufugit 10 die Iulij. ac *Isaacius* eius frater ab ipso anteà excæcatus iterùm assumptus est ad imperium. Illo autem mortuo, & Alexio ex insidijs capto ac strangulato circa finem insequentis Ianuarij, *Imperator Constantinopolitanus* appellatus est *Alexius Ducas*.

A. 5208 m. 1176 eu. captâ *Constantinopoli* 12 die Aprilis, & *Alexio Duca* Imperatore ex fugâ retracto & occiso, circa 17 diem Maij *Constantinopolitanus Imperator* à *Venetis* & *Francis* creatus est *Balduinus Flandriæ* Comes. Verùm à *Græcis Imperator* creatus est *Theodorus Lascaris*: qui sedem imperij habuit *Adrianopoli*. Ac eodẽ tempore à Græcis item constitutum est *Imperium Trapezunti*.

A. 5210 m. 1178 eu. mortuo *Balduino* postquam à *Scythis* contra quos exercitum eduxerat in acie captus erat, 20 die Augusti *Imperator Constantinopolitanus* creatus est *Henricus* comes Flandriæ Balduini frater. Eodem anno *Corinthus* à *Venetis* capta est.

Circa hoc tempus *Albigenses* Fratres Pauperes,

Pauperes, originem trahentes à Petro *Waldo* ciue Lugdunenſe ante annos circiter 40, *Romanis Pontificibus* quòd eorum eccleſias cœtus ſceleroſorum appellarẽt admodùm exoſi, ideoq; iampridem facultatibus ab ijs exuti & extremam paupertatem ſubire coacti manibus victum quærentes innotuerunt: ac mox cædi adiudicati ſunt.

A. 5212 m. 1180 eu. interfecto *Philippo* Sueuo 22 die Iunij, *Germaniæ Imperator* habitus eſt *Otto Brunſuicenſis* ſolus.

A. 5214 m. 1182 eu. circa medium Decembris *Germaniæ Imperator* electus, & poſt annum Aquiſgrani coronatus eſt *Fredericus Sueuus* II, Henrici VI filius, Frederici Barbaroſſæ nepos; contra *Ottonem Brunſuicenſem*, qui inde poſt ſeptennium quum ab omnibus eſſet derelictus mortuus eſt inglorius.

A. 5220 m. 1188 eu. mortuo *Innocentio* III, 17 die Iulij, poſtquam *Albigenſes* ferro & armis crudeliſſimè perſecutus eſſet, proximoq; anno magno concilio *Lateranenſi Romæ* Tranſſubſtantiationem denuò ſanciuerat ac nouam expeditionem in Syriam ex omni Europa decreuerat; *Pontifex* creatus eſt *Honorius* III: qui contra *Albigenſes* confirmauit ordines *Fra-*

trum Franciscanorum Minoritarum Mendicantium,& *Dominicanorum* Humiliatorum Prędicantium:quorum hypocrisi *Romanus Pontificatus* suffultus est.

Eodem anno *Constantinopolitanus Imperator* creatus est *Petrus Antisiodorensis* Comes Francus.

A. 5224 m. 1192 eu. vtpote anno 617 Hegiræ Mahometanæ, *Zengis*, siue *Caugys*, *Chan*(id est Princeps) *Tatarorum* susceptâ in *Persiam* & *Syriam* & *Armeniam* expeditione *Turcas* earum Sultanijs expulit.

A. 5225 m. 1193 eu. capto *Petro* in oppugnatione Dyrrhachij à *Theodoro Lascari*, paulóq; pòst obtruncato; *Constantinopoli* imperare cœpit Petri filius *Robertus* Francus.

Circa finem autem eiusdem anni *Theodoro Lascari Imperatori Græco* successit *Ioannes Ducas* Diplobatazius.

A. 5231 m. 1199 eu. mortuo *Honorio* III, 20 die Martij *Pontifex* creatus est *Gregorius* IX. Is libros Pontificiarum Epistolarum *Decretalium* edidit.

A. 5232 m. 1200 eu. *Constantinopoli* imperare cœpit *Balduinus* II, *Francus*.

A. 5233 m. 1201 eu. *Germaniæ Imperator Fredericus* II, quum anno præceden-

te expeditionẽ feciſſet in Palæſtinam, 17 die Martij recepit *Hieroſolyma*, & quicquid Saladinus Chriſtianis eripuerat: *Pontifice Gregorio* interim mirâ perfidiâ ac malitiâ vtente erga eum.

A. 5245 m. 1213 eu. mortuo *Gregorio* IX 22 die Auguſti, angore animi quòd omnem lapidem contra *Imperatorem* fruſtrà mouiſſet, *Pontifex* creatus eſt *Cœleſtinus* IV. Eo autem mortuo deinde poſt dies 17, vacauit ſedes *Pontificia* pluſquàm ſeſquianno.

A. 5247 m. 1215 eu. 24 die Iunij *Pontifex* creatus eſt *Innocentius* IV. qui tunc repentè ex ſummo amico *Imperatoris Frederici* ſummus inimicus factus eſt. Idemq; *Cardinales* Purpuratæ Meretricis filios *rubro galero* inſigniuit.

A. 5248 m. 1216 eu. *Sultanus Ægypti* iterum recepit *Hieroſolyma*.

A. 5249 m. 1217 eu. contra *Imperatorẽ Fredericum* II excõmunicatum & abdicatũ à *Pontifice*, *Germaniæ Imperator* electus eſt *Hẽricus Haſſiæ* Lãdgrauius. at eo poſt annũ occiſo, *Wilhelmus Hollandiæ* Comes.

A. 5253 m. 1221 eu. rex *Franciæ Ludouicus* inſtitutâ expeditione ad recuperandam *Iudeam* & *Hieroſolyma* à Sultano

 Ægypti,

Aegypti, diuertens in *Ægyptum*, ſub autumnum occupauit *Damiatam*, Sequente autem 7 die Februarij partâ victoriâ acie contra copias *Sultani*, poſtridie ab ijſdem multò grauiùs victus, pauloq; pòſt captus eſt. quo vehementèr labefactatæ ſunt ſpes *Francorum* aliorumq; *Occidentalium Pontificiorum* de Terrâ Sanctâ: quinquies tricenis annis poſt occupata Hieroſolyma à *Godfrido*. Circa idem autem tempus fuit initium imperij *Mamaluchorum* Mahometanorum in *Ægypto*, qui deinde *Iudeam* ac vniuerſam *Syriam* occuparunt. Eorum primus appellatus eſt *Turquemenius*.

A. 5254 m. 1222 eu. mortuo *Friderico* II, 13 die Decembris, *Germaniæ Imperator* ſucceſſit eius filius *Conradus* IV: *Wilhelmo* interim contento ſolo nomine Imperatoris.

A. 5258 m. 1226 eu. mortuus eſt *Imperator Conradus* IV 22 die Maij.

Eodem anno mortuo *Innocentio* IV, 21 die Decembris *Pontifex* creatus eſt *Alexander* IV.

Eodemq; anno *Imperatori Græco Ioanni Ducæ* Diplobatazio ſucceſſit *Theodorus Laſcaris* iunior.

A. 5261 m. 1229 eu. poſt occiſum anno præcedente *Wilhelmum Hollandiæ* Comitem,

mitem, 17 die Maij *Germaniæ Imperator* creatus est *Richardus Anglus* Cornubiæ Comes Regis Angliæ Henrici III frater. ac circa idem tempus ab Electorum aliquibus appellatus est Imperator *Alfonsus* rex *Castellæ*.

A. 5263 m. 1231 eu. *Imperatori Græco Theodoro Lascari* iuniori successit filius *Ioannes Lascaris* cum *Michaele Palæologo* tanquam tutore.

A. 5265 m. 1233 eu. mortuo *Alexandro* IV, 29 die Augusti *Pontifex* creatus est *Vrbanus* IV.

Eodem anno, mēse Septembre, *Græcus Imperator Michael Palæologus Constantinopolim* electo *Balduino* II *Franco* siue *Latino* recepit: ac deinde *Constantinopolitanum Imperium* solus obtinuit.

A. 5268 m. 1236 eu. mortuo *Vrbano* IV 2 die Octobris, *Pontifex* creatus est *Clemens* IV.

A. 5275 m. 1243 eu. (cuius initio mortuus est *Richardus Imperator* in Angliâ), quum sedes *Pontificia* ferè triennio vacasset à morte *Clementis* IV: circa initium Septembris Pontifex creatus est *Gregorius* X.

A. 5277 m. 1245 eu. quum *Alfonsus* rex *Castellæ* tandem sponte renunciasset

ſuæ electioni ad imperiũ, primo die Octobris *Germaniæ Imperator* creatus eſt *Rudolphus* Comes *Habſpurgenſis*.

A. 5279 m. 1247 eu. mortuo *Gregorio* X, 10 die Ianuarij, (ſeſquianno poſtquam *Concilium Lugdunenſe* celebrauerat, quo *Conſtinopolitanus Imperator Michael Palæologus Romano Pontifici* ſe ſubmiſit;) *Pontifex* creatus eſt *Innocentius* V.

A. 5280 m. 1248 eu. mortuo *Innocentio* V 22 die Iunij, *Pontifex* creatus eſt *Adrianus* V. Eoq; mortuo poſt diem 40, 13 die Septembris *Ioannes* XXI.

A. 5281 m. 1249 eu. mortuo *Ioanne* XXI, 25 die Nouembris *Pontifex* creatus eſt *Nicolaus* III.

A. 5284 m. 1252 eu. mortuo *Nicolao* III 15 die Auguſti, poſt ſemeſtre *Pontifex* creatus eſt *Martinus* IV.

A. 5286 m. 1254 eu. *Petrus Arragonia* in Hiſpaniâ rex potitus eſt *Sicilia*.

Eodem anno mortuo *Michaele Palæologo*, *Conſtantinopoli* imperare cœpit eius filius *Andronicus Palæologus*.

A. 5289 m. 1257 eu. mortuo *Martino* IV, 2 die Aprilis *Pontifex* creatus eſt *Honorius* IV.

A. 5292 m. 1260 eu. quaſi ineunte, quum ſedes *Pontificia* vacaſſet ferè an-

no

no à morte *Honorij* IV, die 22 Februarij *Pontifex* creatus est *Nicolaus* IV.

A. 5294 m. 1262 eu. *Iudæi* (quorum maiores sub Gulielmo primo rege primùm aduenerant) ex *Angliâ* vniuersi reuersi sunt.

A. 5295 m. 1263 eu. expugnatâ *Ptolemaïde* à *Mamalucho Sultano Ægypti*, *Christiani Europæi* vniuersi è *Syriâ Palæstinâ* ac *Iudeâ* repulsi sunt.

Eodem anno mortuo *Rudolpho Habspurgense* 15 die Iulij, sequente Ianuario *Germaniæ Imperator* creatus est *Adolphus* Comes *Nassouiensis*.

A. 5298 m. 1266 eu. quum vacasset sedes *Pontificia* duobus annis & trimestri à morte *Nicolai* IV, 7 die Iulij *Pontifex* creatus est *Cœlestinus* V.

Eodem verò anno *Cœlestino* V abdicante Pontificatui, sub 25 diem Decembris *Pontifex Romanus* creatus est *Bonifacius* VIII: qui Cœlestino, vt abdicare animum induceret, subdolè per speciem oraculi illusisse fertur. Hic est *Bonifacius* quo de publicè dictum est, eum *non salutem sed perditionem animarum quærere*: ille filius perditionis, ille *Apollyon*.

A. 5300 m. 1268 eu. *Bonifacius* conci-

tatis ad arma multis *cruce* signatis *Gibellinos* Imperatoriam potestatem Pontificiæ præferētes & *Albigenses Fratricellos* acerrimè persequi cœpit : exactis 1260 annis à cruciatu Christi, iuxta nostram chronologiam.

A. 5302 m. 1270 eu. circa cuius initium *Bonifacius* VIII edidit librum *Sextum Decretaliū*, occiso acie *Adolpho* 2 die Iulij, *Germaniæ Imperator* electus est *Albertus Austriæ* Dux Rudolphi Imperatoris filius.

A. 5303 m. 1271 eu. quasi post annos tres & dimidium motæ à *Pontifice Bonifacio* persecutionis, autumno euēnit ingens *terræmotus*, præsertim *Romæ* & in *Italiâ*.

Cæterùm terræmotu sedato *Bonifacius* ad se redeuns, ac se *Dominum totius mundi* iactitans, primus Israeliticæ Ecclesiæ florentis æmulatione *Iubileum Romæ* celebrauit, tāquam agens glorioſum triumphum de perductâ ad summum fastigium *tyrannide Romanorum Pontificum*; quum etiam ipse *statuas* suas in *templis* collocari iuberet: exactis item iuxta chronologiam nostram annis 360, bis 360, ac semi 360 à fine 70 Hebdomadum Danielis.

A. 5307 m. 1275 eu. *Pontifex Bonifacius* VIII ex insidijs Gibellinorum & Philippi Galliæ regis quem excommunicauerat, captus, & mox mœrore animi mortuus est 11 die Octobris, quo de exindè vulgari prouerbio iactatum est, *Intrauit vt vulpes, regnauit vt lupus vel leo*, (scilicet vt lupus rapax vel leo vorax,) *mortuus est vt canis*. Porro 22 die Octobris *Pontifex* creatus est *Benedictus* IX.

A. 5309 m. 1277 eu. quum sedes *Pontificia* mensibus ferè 11 vacasset à morte *Benedicti* IX, 5 die Iunij *Pontifex* creatus est *Clemens* V. Is verò sedem *Pontificiam* transtulit *Auenionem Galliæ*, vbi mansit circitèr 70 annis.

Circa a. 5310 m. 1278 eu. *quatuor Mahometani Principes* militiæ Turcici ac Tartarici, quorum nomina referuntur *Othomannus* siue Othman, *Caramannus*, *Candelorius* siue Chandulhadirius, & *Assimbeius* siue Assanbegus siue Accoinbegus, partiti inter se prouincias *Aladini* regis Mahometani Iconij paulò ante mortui, Lycaoniam, Ciliciam, Armeniam siue Turcomanniam, aliasq; finitimas *Euphrati* (in cuius traiectu Othmanis auus submersus erat), in exitium *Pseudochristia-*

norum

norum Idololatrarum minoris Asiæ siue Natoliæ *Constantinopolitano* ac *Trapezuntino* Imperio subditorum, maximo terrore irruere cœperunt. Eodem autẽ tempore *Italia* bellis intestinis & seditionibus varijs conflictata est: vt & *Germania*.

A. 5312 m. 1280 eu. trucidato *Alberto Austriaco* 1 die Maij, 25 die Nouembris *Germaniæ Imperator* creatus est *Henricus* VII, Comes Lutzelburgensis.

A. 5315 m. 1283 eu. *Pontifex Clemens* concilio *Viennæ* edidit Decretales appellatas *Clementinas*.

A. 5317 m. 1285 eu. extincto *Henrico* VII veneno in *Eucharistiâ* dato à *Monacho* 24 die Augusti, vacauit *Germaniæ imperium* anno 1 mensibus 2 ferè.

A. 5318 m. 1286 eu. mortuo *Clemente* V 20 die Aprilis, vacauit sedes *Pontificia* annis 2 ac mensibus 3 ferè.

Eodẽ anno, 18 die Octobris dissentientibus Electorũ suffragijs, *Germaniæ Imperatores* appellati sunt *Ludouicus Bauariæ* Dux, Rodolphi Imperatoris ex sorore nepos, & *Fredericus Austriæ* Dux, Alberti Imperatoris filius.

A. 5320 m. 1288 eu. 5 die Septembris *Pontifex* creatus est *Ioannes* XXII.

A. 5327 m. 1295 eu. *Ludouicus Bauariæ*

rus Fredericum Austriacum magno prœlio vicit cepitq; 29 die Septembris. Mox autem 8 die Octobris *Pontifex Ioannes Ludouicum*, quòd victo Frederico imperium occupassèt, excommunicauit.

A. 5331 m. 1299 eu. mortuo *Othmanno Turcico* Principe, eius loco Princeps successit *Vrchan* ipsius filius.

Eodem anno circa 10 diem Maij *Antipontifex* à Ludouico Bauaro creatus est *Nicolaus V.*

Eodem autem anno ad finem tendente, *Philippus Valesius* occupauit regnum *Francia.*

A. 5332 m. 1300 eu. 24 die Maij *Andronico Palæologo* auo suo captâ *Constantinopoli* imperium eripuit *Andronicus Palæologus Iunior.*

A. 5333 m. 1301 eu. completi sunt 1290 anni à fine 70 Hebdomadum Danielis, & quadragies bis triceni ab initio imperij Vespasiani. Circa quod tempus *Turcicus Princeps Vrchan Othmanides* captâ post *Prusiam Nicæâ* cœpit imminere iugulo *Imperatorum Constantinopolitanorum:* atq; *Imperium Occidentale* consummato iure *Canonico* editis *Extravagantibus Pontificis Ioannis* XXII, *Pontificum*

cum arbitrio planè omnino subiectum est; quanquam compluribus doctis viris tyrannidem Pontificū in imperatores vsurpatam clarè redarguentibus. Quo tempore etiam quidam *Petrus Ioannes Pyranensis* fertur palàm professus esse ac docuisse & *Romanum Pontificem* esse ipsum *Antichristum*, & *meretricis Babylonicæ* nomine non aliam intelligendam nisi ipsam *Romam*.

Sub idem verò tempus *Nicolaus Lyra*, ex *Iudæo Christianus*, breues & vtiles Latinas explicationes sacrorum Bibliorum absoluit atq; edidit.

Eodem anno, 15 die Decembris, in publicis vniuersæ *Galliæ Comitijs* habita est *Petri Cugnerij* actio celebris in episcopos, quâ conabatur illis auferre temporalem iurisdictionem.

Eodemq; anno ad finem tendente 13 die Ianuarij mortuus est *Fredericus Austriacus*, Impetator electus contra Ludouicum.

A. 5334 m. 1302 eu. 25 die Augusti *Nicolaus Antipontifex* captus & abdicare coactus est.

A. 5338 m. 1306 eu. mortuo *Ioanne* XXII, 4 die Decembris, postquam ingentes thesauros accumulauerat, eosq; qui

qui Christum & Apostolos eius pauperes fuisse assererent excommunicauerat, atq; Animas beatorũ mortuorum neutiquàm ante nouissimum diem videre Deum pronunciauerat; *Pontifex* creatus est *Benedictus* X.

A. 5345 m. 1313 eu. (vel triennio antea iuxta quosdam) mortuo *Andronico Palaeologo Iuniore*, 15 die Iunij, *Constantinopoli* imperare cœpit eius filius *Ioannes Palaeologus*; primùm sub tutelâ *Ioannis Cantacuzeni* ad annos 16.

A. 5346 m. 1314 eu. mortuo *Benedicto* X, 25 die Maij *Pontifex* creatus est *Clemens* VI.

A. 5350 m. 1318 eu. instigatione *Pontificis*, 2 die Iulij ab aliquibus Electorum *Germaniæ Imperator* contra *Ludouicum* creatus est *Carolus* IV, *Ioannis Bohemiæ* regis filius.

A. 5351 m. 1319 eu. extincto veneno *Ludouico Bauaro* 11 die Octobris, ab electoribus qui in Caroli electionẽ non consenserant *Germaniæ Imperator* appellatus est *Angliæ rex Eduardus* tertius; qui electioni renunciauit: sicut post eum *Fredericus Marchio Missiæ*. Deinde autem post annum electus *Guntherus* comes Suartzburgensis, sexto post electionem mense

veneno & ipse extinctus est. Postea verò *Carolus* IV *Imperium* solus obtinuit.

Circa a. 5354 m. 1322 eu. *Gompsa Parthorum & Persarum* Sultanus fuisse perhibetur.

A. 5356 m. 1324 eu. mortuo *Clemente* VI 6 die Decembris, *Pontifex* creatus est *Innocentius* VI.

A. 5357 m. 1325 eu. amoto *Ioanne Cantacuzeno* mense Ianuario, *Constantinopoli* solus imperium obtinuit *Ioannes Palaeologus*.

A. 5361 m. 1329 eu. mortuo *Vrchani* paulò post expugnatam à Suleimane eius filio in Europâ *Callipolim* & subsecutam illius mortem, *Turcicus* princeps successit *Amurathes* alter eiusdem filius.

A. 5364 m. 1332 eu. *Amurathes Turcarum* Princeps captâ *Adrianopoli* in Europâ, sedem dominatus sui ibi statuit.

A. 5366 m. 1334 eu. mortuo *Innocentio* VI 12 die Septembris, *Pontifex* creatus est *Vrbanus* V.

A. 5374 m. 1342 eu. mortuo *Vrbano* V 19 die Decembris, *Pontifex* creatus est *Gregorius* XI. Circa hoc tempus *Ioannes Wicleuus Anglus Pontificia* dogmata oppugnare cœpit.

A.

A. 5378 m. 1346 eu. completi sunt anni 1335 à fine 70 Hebdomadum Danielis.

A. 5382 m. 1350 eu. mortuo *Gregorio* XI 27 die Martij, ferè sesquianno postquàm sedem *Pontificiam Auenione Romam* retulerat, *Pontifex* ab *Italis* creatus est 6 die Aprilis *Vrbanus* VI, à *Francis* verò 20 die Septembris *Clemens* VII. Vnde ortum est omnium immanissimum *schisma* inter *Pontifices* per annos 50, maximi momenti ad manifestandam mundo illorum impietatem & *Antichristianissimum*.

Eodem anno ad finem tendente mortuo *Carolo* IV, Germaniæ *Imperator* creatus est *Wenceslaus* eius filius.

Circa a. 5384 m. 1352 eu. *Hombu Sinarum* regnum à *Tzintzom* nono regum *Tataricorum*, qui 193 annis ipsũ occupauerant, recuperauit.

A. 5388 m. 1356 eu. mortuo *Ioanne Palæologo*, *Constantinopoli* imperare cœpit eius filius *Andronicus* IV *Palæologus*.

A. 5391 m. 1359 eu. mortuo *Andronico* IV *Palæologo*, *Costantinopoli* imperare cœpit eius frater *Emmanuel Iunior Palæologus*.

A. 5392 m. 1360 eu. interfecto dum *Seruiam* vaſtaret *Amurathi*, *Turcarum Princeps* ſucceſſit eius filius *Baiazethes* cognomento *Gilderun*.

A. 5394 m. 1362 eu. mortuo *Vrbano* V I 8 die Octobris, *Pontifex Italicus* creatus eſt *Bonifacius* I X.

A. 5398 m. 1366 eu. mortuo *Clemente* VII 16 die Septembris, *Pontifex Francicus* creatus eſt *Benedictus* X I. Circa hoc tempus *Baiazethes Sigiſmundum Hungariæ* regem magno prœlio vicit: ac *Græciam* ferè totam occupauit.

A. 5399 m. 1367 eu. *Iudæi* vniuerſi *Franciâ* expulſi ſunt.

A. 5400 m. 1368 eu. *Tamercban* vel *Tamerlancus* (id eſt Tamer claudus, vulgò Tamerlanes) *Scytha*, occupatâ iampridem Babylone ſiue *Bagdatâ*, *Parthis* bellum mouit eoſq; imperio ſuo ſubiecit. ac deinde in totâ *Aſiâ Syriâq;* graſſatus eſt.

A. 5403 m. 1371 eu. *Gilderun Chan* (id eſt Fulmineus Princeps) *Baiazethes* à *Conſtantinopolis* obſidione profectus contra *Tamerlanem* Scytham, ad Stellam montem ab eo victus captuſq; eſt.

A. 5404 m. 1372 eu. amoto *Wenceſlao* ab imperio (poſt electum *Fredericum* ducem *Brunſuicenſem* qui mox trucidatus erat

rat) 20 die Augusti, *Germaniæ Imperator* creatus est *Rupertus* Comes *Palatinus* Rheni.

A. 5406 m. 1374 eu. mortuo in vinculis *Baiazethe*, *Turcarum Principatum* obtinuit eius filius *Soleiman*. Anno autem sequente mortuus est *Tamerlanes*.

A. 5408 m. 1376 eu. mortuo *Bonifacio* IX 1 die Octobris, *Pontifex Italicus* creatus est *Innocentius* VII.

A. 5410 m. 1378 eu. mortuo *Innocentio* VII 6 die Nouembris, *Pontifex Italicus* creatus est *Gregorius* XII. Circa hoc tempus *Ioannes Hussus Bohemus*, qui è Wicleui libris verioris religionis succum hauserat, dogmata Pontificia impugnare cœpit.

A. 5412 m. 1380 eu. *Concilio Pisis* habito contra *Benedictum* X & *Gregorium* XII, abrogato vtrique (sed frustrà) *Pontificatu* 5 die Iunij, *Pontifex* tertiarius creatus est *Alexander* V.

A. 5413 m. 1381 eu. mortuo *Alexandro* V 3 die Maij, in eius locum tertiarius *Pontifex* creatus est *Ioannes* XXIII.

Eodem anno deiecto & interfecto *Soleimane*, *Turcarum Principatum* obtinuit ejus frater *Muse* siue *Moses*.

A. 5414 m. 1382 eu. mortuo *Ruperto* circa finem Maij, *Germaniæ Imperator* creatus est *Iodocus* Marchio *Brandeburgensis*.

A. 5415 m. 1383 eu. mortuo *Iodoco* 20 die Martij, *Germaniæ Imperator* creatus est *Sigismundus Hungariæ* rex, Caroli IV Imperat. filius.

A. 5417 m. 1385 eu. *Mose* in acie capto & strangulato, *Turcarum Principatum* obtinuit eius frater *Muhamedes*.

A. 5419 m. 1387 eu. *Concilio Constantiensi Pontificatui* abdicare coacti sunt *Ioannes* XXIII & *Gregorius* XII, simulq; abdicatus *Benedictus* X, sub initium mensis Iunij. Eodemq; anno *Ioannes Hussius* ac eius primarius discipulus & coadiutor *Hieronymus Pragensis* eodem concilio hæreseos damnati & contra fidem datam igni adiudicati traditiq; sunt.

A. 5421 m. 1389 eu. eodem *Concilio Constantiensi Pontifex* creatus est *Martinus* V, 11 die Nouembris.

Circa a. 5425 m. 1393 eu. mortuo *Emmanuele Iuniore Palæologo*, & (vt videtur) ejecto *Ioanne* filio *Andronici* IV post annos tres & dimidium affectati imperij, *Constantinopoli* imperauit *Ioannes Palæologus Emmanuelis* Iunioris filius.

Eodem anno mortuo *Muhamedi Turcarum Princeps* ſucceſſit eius filius *Amurathes* ſecundus.

Eodemq; anno *Huſſitæ* in *Bohemiâ Ziſcâ* duce correptis armis *Sigiſmundum Imperat.* acie profligarunt.

A. 5428 m. 1396 eu. mortuo *Benedicto* X, *Antipontifex Francicus* creatus eſt *Clemens* VIII.

A. 5432 m. 1400 eu. *Electores & Principes imperij* magno exercitu *Bohemiam* ingreſſi contra *Huſſitas*, nondum viſis hoſtibus terrore pluſquàm Panico diffugerunt, prædamque ingentem ijs reliquerunt.

Eodem anno cadauer *Ioannis Wicleui* in *Angliâ* anno 41 ab eius morte, *Romani Pontificis* iuſſu exhumatum & publicè crematum eſt.

A. 5433 m. 1401 eu. *Antipontifice Francico Clemente* VIII coacto abdicare, ſchiſma *Pontificium* vix tandem poſt 50 annos ſedatum eſt.

A. 5434 m. 1402 eu. *Amurathes* Turcarum Princeps expugnauit *Theſſalonicam.*

A. 5435 m. 1403 eu. quaſi ineunte, mortuo *Martino* V, 3 die Martij *Pontifex* creatus eſt *Eugenius* IV.

Eodem anno 18 die Iulij cœptum est *Concilium Basileense* quod durauit annos 11.

A. 5441 m. 1409 eu. mortuo *Sigismundo* 9 die Decembris, *Germaniæ Imperator* creatus est *Albertus* II Archidux *Austriæ*, Sigismundi gener; *ideoq;* rex *Hungariæ* & *Bohemiæ*.

A. 5443 m. 1411 eu. contra *Pontificem Eugenium* V, indignum Pontificatu iudicatum à *Concilio Basileensi* 25 die Iunij, *Pontifex* creatus est *Amadeus Sabaudiæ* dux, indeq; appellatus *Felix* IV.

Eodem anno mortuo *Alberto* II Austriaco 27 die Octobris, *Germaniæ Imperator* creatus est *Fredericus* Archidux *Austriæ*, Alberti filius.

A. 5444 m. 1412 eu. ars imprimendi libros prelo *Typographico* excogitata à *Ioanne Guttenbergio* Argentinensi exerceri cœpta est Mogunti.

A. 5448 m. 1416 eu. *Ladislaus Poloniæ* & *Hungariæ* rex suasu *Pontificis Eugenij* contra fœdus iuramento confirmatum inferens bellum ditionibus *Amurathis*, ad *Varnam* ipse cum exercitu & *Iuliano Cardinali Pontificis* legato ab eo occidione cæsus est 10 die Nouembris.

Eodem anno mortuo *Ioanne Emmanuelis* Iunioris *Palæologi* filio, Constantino-

poli

poli imperare cœpit *Constantinus Palæologus.*

A. 5449 m. 1417 eu. *Amurathes Hexamilo Isthmi* destructo occupauit *Peloponesum* maximâ ex parte.

A. 5451 m. 1419 eu. mortuo *Eugenio* V, 6 die Martij *Pontifex* creatus est *Nicolaus* V. Eique deinde post biennium cedens *Pontificatu* abdicauit *Felix* IV.

A. 5455 m. 1423 eu. quasi ineunte mortuo *Amurathi* II, *Turcarum Princeps* successit eius filius *Muhamedes* II. qui anno sequente *Athenas* diruit & solo æquauit.

A. 5457 m. 1425 eu. *Muhamedes Turca* tertio anno Principatus sui 29 die Maij septimanę tertio, captâ *Constantinopoli* occisoque *Constantino Palæologo postremo Imperatorum Græcorum Nouæ Romæ*, factus est *Sultanus* atq; *Imperator Orientis.*

A. 5459 m. 1427 eu. mortuo *Nicolao* V, 8 die Aprilis *Pontifex* creatus est *Calixtus* III, natione Hispanus.

A. 5460 m. 1428 eu. *Muhamedes Turcicus Imperator Belgradum* in *Hungariâ* cum ingente exercitu obsidens, à *Ioanne Hunniade* magno prœlio victus & vulneratus atq; obsidionem soluere coactus est 6 die Augusti.

A. 5462 m. 1430 eu. mortuo *Calixto*

III

III 2 die Augusti, *Pontifex* creatus est *Pius* II, anteà dictus *Æneas Syluius*.

Eodem anno *Muhamedes* occupauit *Corinthum*.

A. 5465 m. 1433 eu. *Muhamedes* in *Natolia* *Sinopen* Ponti metropolim cepit, & *Trapezuntum*, euertitq; *imperium Græcorum Trapezuntinum*.

A. 5468 m. 1436 eu. mortuo *Pio* II 14 die Augusti, *Pontifex* creatus est *Paulus* II.

A. 5475 m. 1443 eu. mortuo *Paulo* II 27 die Iulij, *Pontifex* creatus est *Sixtus* IV.

A. 5476 m. 1444 eu. *Vsum Chasanes Parthorum* siue *Persarum* rex misso contra *Turcam Muhamedem* exercitu *Armeniam* longè lateq; vastauit: cui hoc anno Mustapha Muhamedis filius aliquantum restitit. Anno autem sequente ipse Muhamedes in Natoliam profectus variis prœlijs sua omnia recuperauit, eumq; retrò in Persiam vsque pepulit.

A. 5479 m. 1447 eu. *Pontifex Sixtus* IV. *Iubileum Romanum* ab anno 50 ad 25 redactum celebrauit.

A. 5481 m. 1449 eu. *Maximilianus* Frederici Imperatoris filius ductâ vxore *Mariâ* vnica filia *Caroli Burgundi* nuper

in prœlio occisi, creuit hæreditatem ampliſſimi *Ducatus Burgundiæ* ſiue *Belgiæ*.

Eodem anno à *Pontifice Sixto* IV & *Ferdinando* rege *Caſtellæ & Legionum*, in huius regno primùm inſtituta fertur *Inquiſitio Hiſpanica* contra *Maranos*, ſiue Mauritanorum Sarracenorum ex altero ſaltem parente poſteros, & *Iudaïcâ* ſtirpe ſimiliter oriundos.

Circa a. 5483 m. 1451 eu. *Ioannes Weſſelus* celebris cõcionator *Wormatienſis* inſimulatus eſt hæreſeos, quòd de *Indulgentijs* ieiunio & alijs rebus aliena à receptis *Pontificijs* opinionibus doceret.

A. 5484 m. 1452 eu. *Acchomates* Baſſa *Muhamedis* legatus expugnatâ *Hydrunta Calabriæ* oppido maritimo vltimo die Auguſti, tantum terrorem *Italiæ* intulit, vt ipſe *Pontifex* ex vrbe *Româ* fugam adornaret.

A. 5485 m. 1453 eu. mortuo *Sultano Muhamede* eius nominis II ac primo *Imperatore Turcica* 3 die Maij, poſtquàm duo imperia, duodecim regna, & pluſquàm ducentas vrbes ſuæ poteſtati ſubiecciſſet, *Conſtantinopoli* imperare cœpit *Sultanus Balazethes* II, eius filius, repulſo ſeniore fratre *Zeme*.

A. 5488 m. 1456 eu. mortuo *Sixto* IV

13 die Augusti, *Pontifex* creatus est *Innocentius* VIII.

A. 5489 m. 1457 eu. 22 die Augusti occiso in prœlio *Richardo* tyranno parricidâ, *Angliæ* regno potitus est *Henricus* VII, Comes *Richmondiæ*.

A. 5490 m. 1458 eu. *Caitbeius Mamaluchus Sultanus Ægypti* bellum inferẽs *Baiazethi* in *Cilicia* iuxta Tarsum duos eius exercitus duobus prœlijs propè ad internecionem cecidit, tertiumq; contrà missum nec congredi ausum retrocedere coegit.

A. 5493 m. 1461 eu. congressis iterum copijs *Baiazethis* & *Sultani Ægyptij* acerrimo prœlio, victoria inclinauit ad *Baiazethus* partes. Cum autem anno sequente itetùm commisso prœlio Mamaluchus esset superior, demùm pacis conditiones initæ sunt inter ipsos.

A. 5496 m. 1464 eu. mortuo *Innocentio* VIII 25 die Iulij, *Pontifex* creatus est *Alexander* VI, *Hispanus*.

Eodem anno *Ferdinandus* rex *Castellæ* & *Legionum* atq; *Arragonum Granatam* Hispaniæ Bæticæ à *Sarracenis* Mauritanis per annos 780 ferè occupatam recepit, ijsque tandem totâ *Hispaniâ* expulsis maiorum suorum Recaredi & Alfonsi primi

cognomen *Catholici* à *Romano Pontifice* repetijt & impetrauit. Circa idem verò tempus *Iudæos* etiam è ditionibus suis scilicet potissimâ Hispaniæ parte eiecit. feruntur autem eiectorum fuisse centies vicies quater mille familiæ.

Eodem autem anno & eiusdem *Ferdinandi* auspicijs *Christophorus Columbus Genuensis* initio Septembris tribus nauibus Hispaniâ soluens, ac per 33 dies *Solem occidentem* secutus *nouas insulas* inuênit, ijsque vicinam continentem maximam & quasi nouum orbem *Hispanis* & *Lusitanis* aperuit.

A. 5497 m. 1465 eu. mortuo *Friderico* III *Austriaco* die 19 Augusti, *Germaniæ Imperator* creatus est eius filius *Maximilianus*. Hoc tempore creuit maxima seges literatorum in singulis scientijs.

A. 5498 m. 1466 eu. *Francie* rex *Carolus* VIII suscepit expeditionem in *Italiam* occupaturus regnum *Apuliæ* & *Neapolitanum*.

A. 5501 m. 1469 eu. *Americus Vespucius* inuenit *terram occidentalem* à se appellatam *Americam*.

A. 5502 m. 1470 eu. *Hieronymus Sauonarola Florentiæ* in Italiâ, quod *Pontificia* dogmata & flagitia liberiùs taxaret, 23 die

die Maij exquisitis tormentorum cruciatibus excarnificatus, deinde 6 die Aprilis laqueo suffocatus & crematus est.

A. 5504 m. 1472 eu. *Emmanuel Portugalliæ* rex *Iudæos* vniuersos regno suo eiecit.

Eodem anno duodecim naues ab eo missæ dirigentes iter trans circulum *Æquinoctialem* ad australe promontorium *Africæ*, indeq; reflexum versus Tropicum Capricorni, in *Orientem*: 13 die Septembris peruenerunt *Oulechutum*, inuenerunteque Insulas aromatum feraces è regione *Indiæ orientalis*.

A. 5506 m. 1474 eu. *Ferdinandus Hispaniæ* rex occupauit regnum *Neapolitanum*: idq; deinde regno *Siciliæ* deintegro vniuit.

A. 5507 m. 1475 eu. 18 die Augusti *Pontifex Alexander* VI extinctus est veneno, quod ab eo paratum alijs ministet per incuriam & errorem ipsi obtulerat. de quo quidem Pontifice ab ipsis *Pontificijs* huiusmodi Epigrammata facta sunt.

Vendit Alexander Sacramenta Altaria Christum:
Emerat ille prius, vendere iure potest.
Sextus Tarquinius, Sextus Nero; Sextus & iste.
Semper & à Sextis perdita Roma fuit.

De *Lucretia* autem eius filiâ, tanquam eâdem

dem & suâ atq; filij sui concubinâ Epitaphium hoc:

Hoc iacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thaïs: Alexandri filia, sponsa, nurus.

Post Alexandri mortem *Pontifex* creatus est *Pius* III. Eoq; deinde intra mensem mortuo, initio Nouembris *Iulius* II. Hic est qui bella miscens in Italiâ Hispanis & Venetis & Francis, abiectis in *Tiberim clauibus Petri* tanquam eiusmodi negotio inutilibus, *Pauli gladium* (veruntamen non spiritualem illum) popoſciſſe dicitur.

A. 5516 m. 1484 eu. *Ferdinandus Hispaniæ* rex occupauit regnum *Nauarræ* maximâ ex parte.

A. 5517 m. 1485 eu. quasi ineunte mortuo *Iulio* II, 11 die Martij *Pontifex* creatus est *Leo* X.

Eodẽ a. electo & mox extincto *Sultano Baiazethe* 9 die Aprilis, *Turcicũ Imperiũ* Ianizarorum fauore occupauit eius filius *Selimus*, repulsis etiã senioribus fratribus.

A. 5518 m. 1486 eu. *Selimus Imperator Turcicus Ismaelem Sophi Persicum* magno prœlio vicit in campis Calderanis 26 die Augusti.

A. 5520 m. 1488 eu. *Selimus* prope Alepum profligato & in fugâ interfecto *Cansaue Gauri Mamalucho Ægypti Sultano*,

tano, potitus est vniuersâ *Syriâ* & *Iudeâ* cum vrbe *Hierosolymorum*: quam post victoriam venerabundus adijt, & largissimas eleemosynas ibi distribuit: deinde autem *Bethlehemem* etiam inuisens ibi quoq; (scilicet) preces susceptit.

A. 5521 m. 1489 eu. *Selimus Tomambeio* postremo *Sultano Mamalucho*, post captam *Cairum* principem Aegypti vrbem, capto & tormentis necato ac deniq; in mediâ vrbe suspenso 9 die Aprilis, *Ægypto* etiam potitus *Mamaluchorum Ægyptiorum Sultaniam* euertit.

Eodem anno *Martinus Lutherus* in *Saxoniâ* contra *Indulgentias Pontificias* venales disputare cœpit.

A. 5522 m. 1490 eu. *Ferdinandus Magellanus Hispanus* inuenit fretum à se appellatũ *Magellanicum* ad Australem partem Americæ. E cuius (in itinere interfecti) classe vna nauis circumnauigato terrarum orbe ab oriente ad occidentẽ redijt in Hispaniam anno quarto post.

A. 5523 m. 1491 eu. prope finituro, mortuo *Maximiliano* 12 die Ianuarij, 28 die Iunij *Germaniæ Imperator* creatus est *Carolus* V, *Hispaniæ* rex, natus patre Philippo Archiduce Austriæ Maximiliani & Mariæ Burgundæ filio, matre autem vnicâ filiâ

filiâ Ferdinandi ac Elizabethæ regis & reginæ Hiſpaniæ.

Eodem anno *Huldricus Zuinglius Tiguri* in *Heluetiâ* cœpit impugnare vniuerſam tyrannidem ac ſuperſtitionem *Pontificiam.*

A. 5524 m. 1492 eu. mortuo *Sultano Selimo* 22 die Septembris, *Turcicus Imperator* ſucceſſit eius filius *Soleimannus* magnificus.

Eodem anno *Ferdinandus Corteſius* in occidẽtali orbe potitus eſt regione *Mexicanâ*, inde appellatâ *Nouâ Hiſpaniâ.*

A. 5525 m. 1493 eu. mortuo *Leone* X 1 die Decembris, *Pontifex* creatus eſt *Adrianus* VI.

A. 5527 m. 1495 eu. mortuo *Adriano* VI 13 die Decembris, *Pontifex* creatus eſt *Clemens* VII.

A. 5530 m. 1498 eu. *Ludouicus Hungariæ* rex à *Soleimanno Imperatore Turcico* acie victus, fugiens in palude ſubmerſus eſt 29 die Auguſti. Eodemq; tempore *Buda* vrbs regia à *Soleimanno* occupata eſt, & rex conſtitutus *Ioannes Zepuſienſis* Tranſſyluanus: *Ferdinando* Imperatoris Caroli fratre contrà regnum *Hungariæ* perinde vt *Bohemiæ* ſibi aſſerere conante.

A. 5531 m. 1499 eu. exercitus *Caroli*

Imperatoris duce Carolo Borbonio *Romam* cepit & diripuit 6 die Maij, inde etiam *Pontificem* in Adriani mole obsedit per septem menses, donec persolutis exercitus stipendijs se redimeret.

A. 5533 m. 1501 eu. in conuentu *Spira*, contra decretum ne vlla innouatio in religione fieret, *Ioannes Elector Saxoniæ* alijq; *Principes religionis reformatæ* 16 die Aprilis solennitèr protestati sunt id se pro rato neutiquàm habituros. vnde ortum est nomen *Protestantium*.

A. 5538 m. 1506 eu. *Angliæ rex Henricus* VIII *Romano Pontifici* omne ius in Angliam ademit: omnesq; ex ipsâ reditus ei inhibuit.

Eodē anno mortuo *Clemente* VII 25 die Septembris, *Pontifex* creatus est *Paulus* III.

Eodem anno *Soleimannus Turcicus* Imperator *Thamasso* regi *Persiæ* ademit *Assyriam* & *Mesopotamiam* & *Babyloniam*.

A. 5541 m. 1509 eu. *Christianus* rex *Daniæ* coronatus 12 die Augusti, *religionis reformationem* in regno suo instituit.

A. 5543 m. 1511 eu. completi sunt ab anno 5333 m. ac 1301 eu. septies triceni anni: quorum interuallorum aliquibus, verbi

verbi gratiâ duobus postremis ingentia quædam *tonitrua* præsertim *Romæ* sub Alexandro VI & Leone X Pontificibus contigerunt.

A. 5544 m. 1512 eu. *Soleimannus* Imperator *Turcicus* iussit instaurari muros *Hierosolymorum*, & aquam per tubos deduci in ciuitatem.

Eodem anno mortuo *Ioanne Transsylvano Hungariæ* rege Soleimanni fiduciario, & *Ferdinando* iterum ius suum vrgente renouatum est *bellum Hungaricum*.

A. 5550 m. 1518 eu. congregato *Tridenti concilio* à *Pontifice*, *Imperator Carolus* bellum mouit *Electori Saxoniæ* & *Landgranio Hassiæ* alijsq; *Protestantium* Principibus in Germaniâ.

Eodem autem anno ad finem tendente *Eduardus* VI *Angliæ* rex initio regni sui *reformationem religionis* instituit in Angliâ.

A. 5553 m. 1521 eu. mortuo *Paulo* III 10 die Nouembris, *Pontifex* creatus est *Iulius* III.

A. 5555 m. 1523 eu. initio septimi interualli annorum 245 constantis quinquiès 49 annis, bellum à *Mauritio Saxoniæ* Duce *Electore* motum est cõtra *Imperato-*

rem Carolum V, religionis reformandi cœptæ causâ: quo ipse *Cæsar* antehàc victoriosus in fugam versus, captiuis Principibus *Protestantium* libertas parta, *Pontificium* concilium *Tridentinum* dissipatum, liberaq; professio *religionis reformatæ* siue *restituti Euangelij* in Imperatoriæ ditionis regionibus per transactionem *Passauiensem* vindicata est.

A. 5557 m. 1525 eu. mortuo Eduardo VI *Angliæ* regi 6 die Iulij, successit soror *Maria* regina; quæ religionẽ reformatam in Anglià Martyrum sanguine restinguere & Pontificiam resocillare conata est, sed frustrà.

A. 5559 m. 1527 eu. mortuo *Iulio* III 23 die Martij, *Pontifex* creatus est *Marcellus* II. Eoq; mortuo initio Maij, *Paulus* IV.

Eodem anno *Maria Angliæ* regina 24 die Iulij nupsit *Philippo Caroli* Imperatoris filio: cui pater iam concesserat Ducatum *Burgundiæ*.

A. 5562 m. 1530 eu. *Carolo* V imperium resignante 18 die Martij, *Germaniæ Imperator* creatus est *Ferdinandus* eius frater: qui pacem *Protestantibus* confirmauit.

Eodem anno mortuo *Carolo* in *Hispa-*

niâ

vltâ 21 die Septembris succeſſit in regnis eius filius *Philippus*.

Eodem anno mortuâ Mariâ 17 die Nouembris, in regno *Angliæ* ſucceſſit eius ſoror *Elizabetha*: quæ *reformatam religionem* mox reſtituit.

Deniq; eodem anno mortuo Chriſtiano initio Ianuarij, in *Daniæ* regno ſucceſſit eius filius *Fredericus* II.

A. 5563 m. 1531 eu. mortuo Henrico II 10 die Iulij, in *Franciæ* regno ſucceſſit eius filius *Franciſcus* II.

Eodem anno mortuo *Paulo* IV 18 die Auguſti, *Pontifex* creatus eſt *Pius* IV.

Circa idem verò tempus erupit profeſſio *reformatæ religionis* Chriſtianæ etiam in ipsâ *Hiſpaniâ*, & quidem in primarijs eius vrbibus vt *Seuilliâ* & cæteris. quam atrociſſima perſecutio & inquiſitio Hiſpanica mox excepit.

Eodem autem anno mortuo Franciſco II 5 die Decembris, ſucceſſit in regno *Franciæ* eius frater *Carolus* IX.

A. 5568 m. 1536 eu. mortuo *Ferdinando* 25 die Iulij, *Germaniæ Imperator* ſucceſſit eius filius *Maximilianus* II.

A. 5569 m. 1537 eu. mortuo *Pio* IV 8 die Decembris, *Pontifex* creatus eſt *Pius* V.

A. 5570 m. 1538 eu. mortuo *Sultano Soleimanno* ad oppugnationem *Zigethi* in *Hungariâ*, *Turcicus* Imperator succeſſit eius filius *Selimus* II.

Eodem anno cœptæ ſunt in *Belgiâ* contra inquiſitionem Hiſpanicam religionis causâ turbæ, quæ vixdum ſedatæ ſunt.

A. 5571 m. 1539 eu. cœpta eſt *reformatio religionis in Scotiâ*, regno à reginâ Mariâ tranſlato ad eius filium *Iacobum* nondùm bimulum, & prorege conſtituto Iacobo Morauiæ Comite, 25 die Iulij.

A. 5574 m. 1542 eu. *Turcicus Imperator Selimus* II *Cyprum* inſulam *Venetis* ademit.

A. 5576 m. 1544 eu. mortuo *Pio* V 1 die Maij, *Pontifex* creatus eſt *Gregorius* XIII.

Eodem anno nocte præcedente 24 diẽ Auguſti pudenda & nefanda multorum millium *Chriſtianorum reformatæ religionis* nullâ conditionis ſexus vel ætatis ratione habitâ inopinantium in domibus & lectis ſuis trucidatorum *laniena à Pontificijs* in *Francia* perpetrata eſt.

A. 5578 m. 1546 eu. mortuo Carolo IX 28 die Maij, in regno *Francia* ſucceſſit eius frater *Henricus* III, clanculùm reuerſus è *Poloniâ*, vbi ante paucos menſes

rex

rex creatus fuerat.

Eodem anno mortuo *Sultano Selimo* II 15 die Decembris, *Turcicus Imperator* succeſſit eius filius *Amurathes* III.

A. 5580 m. 1548 eu. *Cracouiæ* 1 die Maij rex *Poloniæ* coronatus eſt *Stephanus Bathorius*, Vaiuoda ſiue Princeps Tranſſyluaniæ.

Eodem anno mortuo *Maximiliano* II 12 die Octobris, *Germaniæ Imperator* ſucceſſit eius filius *Rudolphus* II.

Eodemq; anno extincto *Perſiæ* rege Iſmaele II, regnum obtinuit eius frater *Muhamed Hodabendi*, cui mox bellum mouit *Amurathes* Imperator *Turcicus*.

A. 5582 m. 1550 eu. *Sebaſtianus Portugalliæ* rex traijciens in *Mauritaniam*, auxilium *Mahometi* regi laturus contra regem Abdelmelechum eius patruum; commiſſo prœlio 4 die Auguſti, ipſe cum omni exercitu occidione cæſus eſt; Abdelmelech autem in ipsâ pugnâ apoplexiâ interijt, Mahometes verò in fugâ ſubmerſus eſt. Victoriam & regnum *Mauritaniæ* obtinuit *Hametus* Abdelmelechi frater. Verùm Sebaſtiano in regno *Portugalliæ* ſucceſſit eius patruus *Henricus* Cardinalis.

A. 5583 m. 1551 eu. ad finem tendente extincto *Henrico* Cardinali rege circa 1 diem Februarij, regnum *Portugallie* occupauit *Philippus* II *Hiſpaniarum* rex.

A. 5586 m. 1554 eu. 5 die Octobris iuſſu *Pontificis Gregorij* XIII, in regionibus eius poteſtati abnoxijs anni *Iuliani* & *Paſchalis Enneadecaeteridis Anatoliana* Nicenâ primâ Synodo receptæ ratio mutata eſt.

A. 5589 m. 1557 eu. mortuo *Gregorio* XIII 10 die Aprilis, *Pontifex* creatus eſt *Sixtus* V.

A. 5591 m. 1559 eu. mortuo ante annum ferè Stephano Bathorio, 17 die Decembris *Poloniæ* rex coronatus eſt *Sigiſmundus Ioannis* III regis *Suecie* filius.

A. 5592 m. 1560 eu. mortuo Frederico II 4 die Aprilis, in *Daniæ* regno ſucceſſit eius filius *Chriſtianus* IV.

Eodem anno menſibus Iulio & Auguſto ingens (&, vt de eâ iactatum erat, *Inuincibilis*) *claſſis Philippi* regis *Hiſpaniarum* occupatura *Angliam* à *Romano Pontifice* vnà cum reginâ *Elizabetha* anathematis fulmine ſed bruto ictam, profligata, & ſpem de ſe conceptam egregiè mentita, deinde maximam partẽ littoribus alliſa & ſub-

subuersa est, ad summam Dei gloriam & orbis terrarum admirationem.

A. 5593 m. 1561 eu. *Henrico* III *Vallesio* perfidiosè confosso à *Monacho Pontificio* cultro venenato 22 die Iulij, & sequente die ex vulnere mortuo, in regno *Francia* siue *Gallia* successit *Henricus* IV *Borbonius*, rex *Nauarræ*.

A. 5594 m. 1562 eu. mortuo *Sixto* V 27 die Augusti, *Pontifex* creatus est *Vrbanus* VII. Eo autem mortuo 27 die Septembris, *Gregorius* XIV.

A. 5595 m. 1563 eu. mortuo *Gregorio* XIV 5 die Octobris, *Pontifex* creatus est *Innocentius* IX. Eoq; extincto 29 die Decembris, (tanta erat *Pontificum Romanorum* lues his temporibus:) demùm *Clemens* VIII. Anno autem proximè sequente renouatum est bellum *Turcicum* in *Hungaria*.

A. 5597 m. 1565 eu. *Sigismundus* rex *Poloniæ* mortuo patre Ioanne III, obtinuit etiam regnum *Sueciæ*.

A. 5598 m. 1566 eu. mortuo *Sultano Amurathe* III 8 die Ianuarij, *Turcicus Imperator* successit eius filius *Mahamedes* III.

Eodem anno *Sigismundus Batbori*, Transsyluaniæ Princeps, à Turcis deficiens ad Impera-

Imperatorem Rudolphum, aliquandiu res magnas contra illos gessit: breui rursus defecturus ad eosdem.

A. 5600 m. 1568 eu. 16 die Octobris, *Rudolphi Imperatoris* exercitus cũ *Turcico* cõgressus, magnam victoriam propè partam, prædæ auiditate amisit, maximâq; clade affectus est.

A. 5602 m. 1570 eu. mortuo *Philippo* II 3 die Septembris, rex *Hispaniarum* successit eius filius *Philippus* III.

A. 5603 m. 1571 eu. *Albertus* (pridem Cardinalis) *Archidux Austriæ*, die 8 Aprilis *Isabellã Philippi* II regis *Hispani* filiam, cui pater legauerat *Ducatum Burgundiæ* siue *Belgiæ*, vxorem duxit: eiusq; nomine iuramentum fidelitatis à Belgis exegit.

Eodem anno *Carolus dux Suetiæ* patruus Sigismundi regis Sueciæ & Poloniæ, mense Iulio, habitis comitijs, *Suetiæ* regnum Sigismundo abrogatum occupauit.

A. 5604 m. 1572 eu. iniuit secunda pars septimi interualli 245 annorum, constans alteris 49 annis.

A. 5607 m. 1575 eu. mortuâ reginâ *Elizabethâ* 24 die Martij, in regno *Angliæ* & *Hiberniæ* successit *Iacobus* VI rex *Scotiæ*.

Eodem

Eodem anno ad finem tendente mortuo *Sultano Muhamede* III, *Turcicus Imperator* succeſſit eius filius *Ametus* primus.

A. 5608 m. 1576 eu. menſe Octobre *Rex Iacobus*, hæreditatis iure potitus *Monarchiâ Angliæ & Scotiæ*, totam Inſulam antiquo nomine *magnæ Britanniæ* denuò appellari edicto iuſſit: 779 annis poſtquàm Egbrichtus Angloſaxo nomen Angliæ ſanciuerat.

A. 5609 m. 1577 eu. quinto die Nouembris viperina ſoboles *Pontificiorum* in *Britanniâ*, quum horrendo ac vix credibili ſcelere immanẽ vim *pyrij pulueris* clanculùm collocaſſet in ſubterraneâ cryptâ Domicilij vbi *Comitia* regni haberi ſolita eſſent, vt vnà cum Rege ac Principe regni hærede, omnes eiuſdem Ordines ad eundem diem conductum ibi congregati illius accenſione ſimul vniuerſi quaſi ictu oculi miſerrimè diſperderentur; Dei Optimi Maximi ſummè admiraudâ prouidentiâ & gratiâ abortiuit.

A. 5610 m. 1578 eu. mortuo *Clemente* VIII (cuius clementiæ ſpecimẽ proximè expoſitum eſt), *Pontifex* creatus eſt *Leo* XI. Eoq; mox extincto, *Paulus* V.

A. 5612 m. 1580 eu. qui nondum exactus eſt, menſe Iunio *Matthias* Archidux

Auſtriæ

Auſtriæ regnum *Hungaria* obtinuit à Rudolpho Imperatore.

Hactenus igitur ſeriem temporum cõpendioſo calculo contexui ab initio mundi ad præſens vſque. Vacantibus autem ad finem libelli præter expectationem paginis viſum eſt adijcere reſiduas quaſdam rationes huius ſeptimi interualli ſiue ſeptimæ ætatis Euangelij : de quibus equidem nihil certi habeo quod vel affirmem vel credã; ſed hac occaſione, quod alioqui non inſtitueram, eas ſano & ſobrio Theologorum ac ſecundum hos totius Eccleſiæ Chriſti (cui vtinam proſint ipſæ cum cæteris) iudicio permitto.

A. 5653 m. 1621 eu. init tertia pars interualli ſeptimi.

A. 5699 m. 1667 eu. exactis tricies quater 49 annis ab huius epochâ, congruit annus 2300 ab initio imperij Babylonici.

A. 5700 m. 1668 eu. complentur 390 anni ab initio ſexti interualli.

A. 5702 m. 1670 eu. init quarta pars interualli ſeptimi.

A. 5731 m. 1699 eu. complentur 666 anni ab initio quinti interualli.

A. 5751 m. 1719 eu. init quinta pars interualli ſeptimi.

A.

A. 5758 m. 1726 eu. ſecunda hebdomas quintæ partis.

A. 5765 m. 1733 eu. tertia.

A. 5772 m. 1740 eu. quarta.

A. 5779 m. 1747 eu. quinta.

A. 5782 m. 1750 eu. completur quadratus Iubileus naturalis à poſtremo Iſraelitico ante Babylonicum imperium & captiuitatem.

A. 5786 m. 1754 eu. init ſexta hebdomas partis quintæ.

A. 5789 m. 1757 eu. complentur 666 anni à ſtabilitâ primùm Antichriſtianâ Tyrannide Romanorum Pontificum.

A. 5793 m. 1761 eu. init ſeptima hebdomas quintæ partis; exactis ſeptuaginta hebdomadibus à primo Iubileo Romano.

A. 5797 m. 1765 eu. medium hebdomadis ſeptimæ.

A. 5800 m. 1768 eu. completur ſeptimum interuallum annorũ quinquies 49 ab initio imperij Domitiani; atq; exactè quadrati quadragies nouies quadrageni & noueni anni ab initio regni Nabuchadnezaris: ab initio autem imperij & captiuitatis Babylonicæ, vicies quater centeni, ſiue 2400. Verùm anno 6800 m. 2768 eu. complentur 3400 anni ab eodem tempore: quot nimirùm à Mundi conditu,

Austriæ regnum *Hungaria* obtinuit à Rudolpho Imperatore.

Hactenus igitur seriem temporum cõpendioso calculo contexui ab initio mundi ad præsens vsque. Vacantibus autem ad finem libelli præter expectationem paginis visum est adijcere residuas quasdam rationes huius septimi interualli siue septimæ ætatis Euangelij : de quibus equidem nihil certi habeo quod vel affirmem vel credã; sed hac occasione, quod alioqui non institueram, eas sano & sobrio Theologorum ac secundum hos totius Ecclesiæ Christi (cui vtinam prosint ipsæ cum cæteris) iudicio permitto.

A. 5653 m. 1621 eu. init tertia pars interualli septimi.

A. 5699 m. 1667 eu. exactis tricies quater 49 annis ab huius epochâ, congruit annus 2300 ab initio imperij Babylonici.

A. 5700 m. 1668 eu. complentur 390 anni ab initio sexti interualli.

A. 5702 m. 1670 eu. init quarta pars interualli septimi.

A. 5731 m. 1699 eu. complentur 666 anni ab initio quinti interualli.

A. 5751 m. 1719 eu. init quinta pars interualli septimi.

A.

A. 5758 m. 1726 eu. ſecunda hebdomas quintæ partis.

A. 5765 m. 1733 eu. tertia.

A. 5772 m. 1740 eu. quarta.

A. 5779 m. 1747 eu. quinta.

A. 5782 m. 1750 eu. completur quadratus Iubileus naturalis à poſtremo Iſraelitico ante Babylonicum imperium & captiuitatem.

A. 5786 m. 1754 eu. init ſexta hebdomas partis quintæ.

A. 5789 m. 1757 eu. complentur 666 anni à ſtabilitâ primùm Antichriſtianâ Tyrannide Romanorum Pontificum.

A. 5793 m. 1761 eu. init ſeptima hebdomas quintæ partis; exactis ſeptuaginta hebdomadibus à primo Iubileo Romano.

A. 5797 m. 1765 eu. medium hebdomadis ſeptimæ.

A. 5800 m. 1768 eu. completur ſeptimum interuallum annorũ quinquies 49 ab initio imperij Domitiani; atq; exactè quadrati quadragies nouies quadrageni & noueni anni ab initio regni Nabuchadnezaris : ab initio autem imperij & captiuitatis Babylonicæ, vicies quater centeni, ſiue 2400. Verùm anno 6800 m. 2768 eu. complentur 3400 anni ab eodem tempore : quot nimirùm à Mundi conditu,

conditu, eousque. Quum autem verisimile sit vniuersam ætatem mundi vix aut ne vix quidem excessuram esse septimum annorum millenarium: postremò adijcio catalogum Iubileorum naturaliũ eousque: præsertim quum eorum bini (ne dicam binorum denos aut duodenos) haud ignobiles Solis Lunæque periodos comprehendant.

τῷ θεῷ ἡ δόξα εἰς πάντας
τοὺς αἰῶνας. ἀμήν.

MUSEUM
BRITAN
NICUM

49	1225	2401	3577	4753	5929
98	1274	2450	3626	4802	5978
147	1323	2499	3675	4851	6027
196	1372	2548	3724	4900	6076
245	1421	2597	3773	4949	6125
294	1470	2646	3822	4998	6174
343	1519	2695	3871	5047	6223
392	1568	2744	3920	5096	6272
441	1617	2793	3969	5145	6321
490	1666	2842	4018	5194	6370
539	1715	2891	4067	5243	6419
588	1764	2940	4116	5292	6468
637	1813	2989	4165	5341	6517
686	1862	3038	4214	5390	6566
735	1911	3087	4263	5439	6615
784	1960	3136	4312	5488	6664
833	2009	3185	4361	5537	6713
882	2058	3234	4410	5586	6762
931	2107	3283	4459	5635	6811
980	2156	3332	4508	5684	6860
1029	2205	3381	4557	5733	6909
1078	2254	3430	4606	5782	6958
1127	2303	3479	4655	5831	7007
1176	2352	3528	4704	5880	7056

6 pag. 13 lin. leg. Nineuen. 76 pag. 4 lin. inuentum. 119 p. ante 12 l. pon. regulat. lin. 127 p. 3 l. A. 4003. 161 p. tit. Imperij Romanorum Cæsarum. 176 p. 20 l. ineuntibus. 256 p. 21 l. 722 eu. 290 p. 3 l. 1159 eu.